



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Isagoge Ad Amorem Divinvm

Pennequin, Pierre

Antverpiae, 1661

Pars Prima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47132)

ISAGOGGE A D AMOREM DEI. PARS PRIMA.

CAPVT I.

Antè credendum, quàm amandum.

I.
Fides disponit ad amorem.



MOREM profanum cæcum esse, qui rei amata defectus non percipit, commune est apud omnes pronuntiatum; quod etiam in amore casto & sancto certo sensu locum habet, qui in objectum suum ferri non potest, nisi intellectus facem præferat; cognoscas prius oportet, quàm ames: & quia in iis, quæ Deum, divinaque concernunt, credere, est quodammodo cognoscere, dicendum etiam in illis est; prius oportet, ut credas, quàm ames. Cedit quidem hujus vitæ, quam habemus de

Deo notitia, longè illi, quam habituri sumus in cælo; ad eam tamen assequendam opus est, ut nobis adminiculo sit fides; dum Augustinus teste, *amatur à nobis quod ignoratur, sed creditur.* Possumus quidem ad earum rerum quæ nos latent habendam notitiam desiderio ferri; ut verò res illas, quæ cognitionem nostram prorsus fugiunt, amemus, fieri nullo modo potest: *Ut enim*, ait idem sanctus Doctor, *amet aliquis scire incognita, fieri potest: ut autem amet incognita, non potest.* Porrò cum duplex nos ad credendum incitet stimulus; unus qui à sola dicentis auctoritate petitur; alter qui ab argumentis, probationibus, & testibus robur

Lib. 10. de Trinitate c. 11.

A acci-

accipit: Prior ille Deo competit, cuius pronuntiata, propter dicentis solam auctoritatem & eminentiam tantum apud nos habere pondus debent, ut nullis aliis argumentis & testibus desideratis, firmum illis & inconcussum præstemus assensum. Modum etiam

2.
Fidem duo
cōciliant.

exigendi fidem, duplicem agnoscere possumus; unum plenum majestatis & imperij; alterum inferioris ordinis, qui assensum emendicet potius, quàm imperet: prior ille Dei proprius est, qui hominum animis & propensionibus dominatur, easque flecitur pro arbitrio, vultque dictis suis fidem haberi nullo credentis examine, additis etiam supplicij comminationibus, si detrectet & eam denegat.

Cum in principio Geneseos audis legi, *Creavit Deus calum & terram*, cave ne ad argumenta confugas, aut ad testes appelles: vult Deus, te simpliciter & intellectu velut captivo, isti pronuntiato credere, ut quod Aristoteles octo Physicorum libris, & duodecim Metaphysices probare conatus est, & non est assecutus, tu solâ inductus dicentis auctoritate pro vero habeas: atque in hoc consistit excellens quoddam intellectus & voluntatis sacrificium, quo fidem virtutem esse Theologicam, aliis moralibus virtutibus longè præstantiore, magno scimus; eaque

duce in primæ Veritatis penetramus adyta, Deoque nos ipsos, voluntatem, inquam, nostram, ac judicium constanter immolamus.

Quantus verò Deo hinc honor accedat, hoc exemplo palam fit. Demus Regem aliquem non virtutum minus gloriâ, quàm opibus florentem, quiq; apud subditos tantam sibi integritatis famam conciliarit, ut exultiment omnes, malle illum opum & vitæ jacturam facere, quàm se vel minimo contaminare mendacio; demus inquam, hunc Regem cum aliquo è familiaribus aulicis adolescentibus, de rebus à se in juvenute magnificè gestis colloqui, & tam miranda, & supra hominum memoriam & conditionem à se edita facinora proferre in medium, ut vix fidem apud aliquem cordatum mereri videantur: si tamen aulicus ita illum alloqueretur: Rex magne, præcellentia sunt & profus heroica, quæ jam à te denarrata sunt, & meritò pro stipite, aut fungo habendus essem, si alteri similia jactanti crederem: verum quia hæc à tua Majestate proferruntur, cujus virtus & integritas toti regno perspecta sunt; adeoque ab omni mendacio alienus es, ut regno & vitâ privari malle, quàm mentem & linguam vel levissimi mendacij umbrâ dehonore stare: ita iis quæ dixisti, tuis solummodo verbis nixus fidem habeo,

3.
Simile de
fide hu-
manâ.

beo, ita illa in veris repono, ut pro
eorum tuendâ veritate paratus sim
vitam ponere: Verbum tuum vel
unicum, ô Rex, plus apud me pon-
deris habet, quàm vel myrias ra-
tionum. Aulicum istum hac sin-
gulari protestatione, & tam altâ
de virtute Regis existimatione,
honoris & venerationis quamplu-
rimum regio nomini deferre, gra-
tiamque illius cum incremento
demereri nemo est bonæ mentis
qui non videt. Idem profus acci-
dit, cum Deo loquenti credimus.

4.
Ad divi-
nam tra-
ductum.

Hoc ita constituto, cum jam
Deus de suis perfectionibus, &
attributis, de Bonitate, Omnipot-
entia, Sapientia, Immensitate, Æ-
ternitate, tam præclara revelarit,
quibus intellectus hominis tantæ
Majestatis fretus auctoritate, &
verbo Dei unico innixus firmiter
assentitur, quàm si in sole ipso
scripta legeret, aut manibus con-
tractaret: hæc deinde in unum
collecta voluntati cum proponit,
quantas necesse est tum flammæ
amoris in illa excitari; cum sicut
magnetis illecebrâ ferrum trahi-
tur, ita ad ingentis boni præsen-
tiam voluntas penitus inardescat:

In Psal. 44

*Fides, inquit S. Basilius, sagittas ha-
bet acutas quæ secum flammæ amoris
ferunt.*

5.
Probat
exemplo
fœminæ
infidelis.

Quod in fœmina infideli solum
rationis lumen pro duce habente
quomodo contigerit, manifestavit
aliquando S. Brigittæ Virgo Dei

Mater: ac primò quidem ita secum
illa ratiocinata est: Hanc corporis
mei fabricam, hæc membra, hanc
vitam à me non habeo, ab alio illa
accepi: aliquem ergo Creatorem
esse necesse est, qui mihi ista do-
navit, & inter res creatas nobi-
liorem locum dedit, quàm vermi-
culis per terram reptantibus:
quod ita se habere cum manife-
stum sit, ita me erga illum affectum
sentio, ut si hinc à maritis, inde ab
illo, qui me tanto affecit benefi-
cio, vocarer, huic potius conti-
nuò, quàm illis morem gererem:
& si mihi plures essent liberi, qui-
bus sedulo cibum procurarem,
contingeretque, ut meus Creator
alimenti indigeret, auferrem illa
liberis meis, ut illi subvenirem: à
bonis fortunæ, & facultatibus be-
nè instructa sum, si tamen Creator
meus, quid de illis factum vellet,
mihi aperire dignaretur, è vestigi-
o voluntati ejus obsequerem.
Placuit Deo hæc mulieris volun-
tas, misitque qui illam in fide Chri-
stianâ instrueret. Porro cum In-
carnationem Filij Dei & acerbis-
simam ejus passionem edocta esset,
conspersa lachrymis dixit: Sensi
equidem singulari me amore suc-
cendi erga Creatorem, à quo quid-
quid habeo, habere me intellexi;
nunc verò cum insuper audio,
quàm potioribus me beneficiis
affecerit, seque in ducem ad salu-
tem dederit, & me pretioso san-

A 2 guine

guine in libertatem asseruerit, longè ardentius à me amandus est, meque ac membra omnia, facultatesque omnes ejus obsequiis addicenda intelligo: neque sanè mihi animus est hinc consistere; sed præterea amorem illum, quem in parentes, liberos & amicos velut dispersum habeo, in illum unum conferre volo, & toto cordis conatu ad æternam cum illo conjunctionem aspirare. Hinc liquet, quomodo ex majori beneficiorum per fidem cognitione amor sua sumpserit incrementa, primò quidem ratio naturalis flammulas aliquas accenderat, sed nihil ad illa incendia, quæ deinde fides suscitavit.

S. Basilius de Sagittis amoris agens, quibus animæ veris fidei facibus illustratæ, vulperari solent, exclamat: *Beati, qui vere illius pulchritudinis amore inardescunt; charitatis enim vinculis quodammodo adstricti, caelestem ac beatum amantes amorem, obliviscuntur domesticorum, & amicorum; obliviscuntur familia, & facultatum omnium, quin & immemores potus & cibi ad corporis sustentationem necessarij, soli divino & puro amori penitus adhærescunt.*

6. *Simile.* Si alicui quinque vel sex gemmas ostenderes, pulchras quidem, sed non ex præstantioribus, eique diceres longè excellentiores apud te in capsulis habere te reconditas, quæ ad ejus essent obsequiû,

non adamaret hic illas, quas haberet ante se, sed totus ad alias, quas non videret, crederetque pulchriores, cupiditate ferretur. Idem omnino operatur in nobis Fides, quæ à rebus quæ sub aspectum cadunt, tanquam vilioribus animos nostros abducit, & ad rerum caelestium amorem transfert; illasque majori dignas æstimatione, Deumque præ cæteris amandum, & omnibus meritò anteponendum ostendit. Verùm pauci in hac Fidei claritate ambulant, cumque res visibiles suis non careant illecebris, quibus animos detinent; hinc fit, ut tanta sit Deum sincerè amantium raritas.

7. *Alud à Sole.* Utinam ad hanc cæcitatem discutendam attenderent multi, audirentque sanctum Chrysostomum, qui ad excitandam in auditorum suorum animis in Deo quærendo diligentiam, similitudine Solis utitur, qui licet omnibus, qui oculis non carent, sit maxime aspectabilis, si tamen aliquis se subterraneâ speculâ abscondat atque defodiat, ut ejus beneficio fruatur, fieri nullo modo potest. Id ipsum nobis accidat necesse est, si nullâ felicitatis nostræ ratione habitâ, cor nostrum impuris affectionum tenebris involvamus, & animum vanis desideriis immersum terræ defigamus miseræ illi obnoxij, quam in se deplorat S. Augustinus: *Dorsum, inquit, habebam* *Lib. Conf.*

viam ad lumen, & facies mea non illuminabatur. Non sufficit ad emergendum ex hac caligine, & celestis amoris lucem hauriendam, simpliciter credere Deum esse; nam & demones, S. Jacobo attestante, credunt & contremiscunt: neque id ipsum Ethnici jure negare possunt, nisi res omnes creatas, quas velut istius veritatis præcones habent ante oculos, falsitatis velint arguere; sed vivâ fide ad penitentiorem Dei cognitionem aspirandum, quæ nos ad eum amandum inducat, amore ejus meritis & beneficiis, quantum fieri potest, pari.

8. Aliud à gemma ignoti pretij.

Da mihi rusticum hominem hebetem, dicebat Beata Angela de Foligny, qui magni pretij gemmam reperiat; videbis quidem illum ad illius pulchritudinis aspectum admiratione defigi; sed quia pretium & alias gemmæ istius perfectiones ignorat, in unico lucis & coloris aspectu delectatur: fac illam reperiat gemmarius in gemmarum æstimatione versatus; is externo aspectu non contentus, ad alias istius gemmæ perfectiones attentus, quas deprehendit esse longè maximas, ingenti illius gemmæ obtinendæ flagrat desiderio, eamque suam facere quovis pretio contendit: ita ad Dei ingentem amorem in nobis excitandum, non sufficit simplex fides, & velut perfunctoria Dei repræsen-

tatio; sed in Divinitatis abyssum ejusque perfectiones admirabiles immergendus animus, & de illis confitendum, quod de Deo post altissimam contemplationem profiteretur S. Ambrosius: De quo, ait, *Lib. 1. de* cum dicitur, non potest dici; cum *Fide.* estimatur, non potest estimari; cum comparatur, non potest comparari; cum definitur, ipsa sua definitione crescit, &c.

Felices nos, si eò mens nostra pertingat! optandum id quàm maximè, & ad illam fidei vivæ, & ad interiora Dei penetrantis possessionem seriò incumbendum, cujus alis invecti res omnes creatas longo infra nos linquamus intervallo, & ardentissimo Dei amore penitus inflammemur; in quo id etiam nobis accedet boni, ut intellectus noster & voluntas, eam, ob quam conditi sunt, perfectionem consequantur.

Certè si speculum discernendi facultate esset præditum, res pulchras, & intuentium oculis acceptas, repræsentare mallet, quàm deformes, & minus gratas, ac perfectissimâ earum cum omnibus lineamentis repræsentationem, obscurâ & imperfectâ meritò antepone ret: ad eum modum nos, qui ad utriusque facultatis, intellectus scilicet & voluntatis perfectionem consecrandam creati sumus, ad altissimam Dei cognitionem, & amorem ardentissimum connici o-

9. Divina sunt intellectus & voluntatis præstantissimum objectum.

portet, quo utroque potentia illa ad supremum perfectionis suae complementum evahantur. Verum ea quae animus noster à rebus creatis haurit impedimenta, non in minoribus damnis reponenda sunt: ut enim sol, qui omnis coloris expers est, puro & simplici lumine vestitur, nobis ob interjectos vapores nunc pallidus, modo rubicundus, nunc subniger apparet; ita nescio quae rerum terrenarum permixta cum corde nostro confusio nobis veram de Deo cognitionem suffuratur.

19. Naas olim Ammonitarum Rex
 Fraus dæ-
 monis fi-
 dem impe-
 dientis.
 populi Dei hostis infensissimus, cum Gabaonitis pacem inire noluit, nisi quilibet eorum dexteri oculi effossionem admitteret; ita & dæmon in id unum incumbit, ut oculo fidei offundat tenebras, illudque vel curarum pulvere nimio, vel honorum fumo, vel vitiosis affectionum humoribus lædat, quo factò de cæteris facilem sibi victoriam pollicetur, cum animus ita exæcatum in amore Dei torpescere sit necesse. Circumspice mecum varios hominum gradus, etiam horum, qui supra vulgus eminent; videbis inter illos plerosque, etsi in negotiis reipub. pertractandis prudentiâ & industriâ valeant, in amoris tamen divini exercitatione languere, plurimumque frigescere. Si causam & originem hujus mali diligentius

inquiris, videbis in eorum animis fidem, quae in Dei amorem facere præferre debet, semisopitam esse, & ad illorum mentem excitandam, illustrandam, & ad divinorum perfectionum considerationem erigendam satis virium non habere. Quae fieri potest, aiebat
 Marcus Eremita, ut talpa oculorum lumine destituta, & velut in terrâ defossa, ad stellarum pulchritudinem contemplandam asurgat? Inter hos talpas Ludovicum Lantgravium, qui ante trecentos annos vixit, merito recenseas, qui cum vir esset ingenio præstanti, versatus in literis, & magnae in agendis negotiis solertiæ, in iis tamen, quae salutem animi spectabant, hebes erat & cæcus, adeo ut frequenter in ore haberet illum versiculum: *Calum cali Domino; terram autem dedit filius hominum;* quasi delicias suas haberet Deus in cælo, terram verò mortalium oblectamentis reliquisset. Quod
 quanti misero constiterit, spectata
 ejus post mortem condemnatio, & in puteo terribili medias inter flammæ æternum incendium luculenter ostendit. Quid quod in illis ipsis, qui virtutem sectantur, dum vel tantillum fidei acies retunditur, & vel tristitiâ, vel vehementi alicujus rei desiderio, vel in scientiis comparandis contentione occupatus animus nubem aliquam fidei noxiam attrahit, vide-

14.
 Quis ho-
 mo talpæ
 similis.

Caesarus
 lib. 3.

mus

12.

mus pariter amorem Dei in te-
scere, & nescio quam desidia-
miserè obrepentem ea homini dâ-
na parere, quæ etiam in alterâ vitâ
lugendi materiam præbeant: quod
in Patre Munier & Societate no-
strâ, qui Superior alicujus domus
Societatis in Burgundia anno 1625.
decessit è vivis, accidisse videmus.
Vivebat id temporis in eâ civitate,
in quâ ille obiit, Sanctimonialis ex
Ordine Annuntiarum Cælesti
Maria Hyacintha sanctitatis opi-
nionem celebris, quæ Confessario
Patri Parifot (à quo dictæ Virgi-
nis vitam descriptam habemus) si-
bi revelatum dixit Patrem Munier
in cælo inter Confessores locum
habere; triduo tamen in flammis
purgantibus hæsisse, quod studio
alicujus scientiæ non adeo tum ne-
cessariæ nimium additus, aliquem
in exercitiis spiritus teporem con-
traxisset. O quàm utile monitum
nobis Deus per os Jeremiæ pro-
nuntiatum reliquit! *Non gloriatur
sapiens in sapientia sua, neque fortis
in fortitudine sua, neque dives in divi-
tiis suis, sed in hoc gloriatur scire &
nosse me, dicit Dominus.* Verè ita est,
omni studio ad hanc majorem
Dei Opt. Max. hauriendam co-
gnitionem nobis connitendum
est, à qua tanquam à perenni fon-
te tot in voluntatem nostram a-
moris divini affectiones derivari
videmus.

Cap. 9.

C A P. II.

Quatuor media excitanda
magis ac magis fidei sacræ
opportuna.

Non dubito te, qui hæc legis,
& tantas fidei viæ ac excita-
tæ utilitates intelligis, ejus obti-
nendæ desiderio vehementer ten-
neri, optareque media ex me in-
telligere, quibus vim & virtutis
iltius efficaciam in te sentias, ut
perfectiorem divinæ Majestatis
cognitionem excitandis in te amo-
ris igniculis opportunam conse-
quaris; en tibi quatuor ex S. Au-
gustino Epistolâ ad Paulinam: *Go-
girando, orando, legendo, audiendo:*
de quibus si sententiam meam re-
quiris, liberè cum eodem Docto-
re pronuntio in duobus prioribus
plus inesse momenti ad id, quod in
quæstione est, consequendum,
quàm in duobus posterioribus: &
considerationi & orationi potio-
res partes esse deferendas.

1.
Quatuor
media ad
fidem ob-
tinendam.

Epist. 12.

Primum ergo locum habeat
Consideratio; cujus materia sit Dei
Pulchritudo, Bonitas, Amor, & in
beneficiis conferendis profusio:
in his singulis diebus per aliquod
tempus considerandis mentem
occupa. Nolo dicas tibi, quod Pla-
to: *Mihi recessus, ac solitudo provin-
cia est: multo minùs, quod Ter-
tullianus:*

Primum
medium
Confide-
ratio.

De pallio
c. 5.

tullianus: *Seceſſi à populo, unicum mihi negotium eſt; nec aliud nunc curo, quàm ne curem.* Sufficit mihi, aliqua mentis tuæ tranquillitas, aliquod cogitationum tuarum ſilentium, & à negotiis tumultuantibus vacatio. Hanc Iſaiæ ſententiam quaſi de cælo ad te demiffam tibi aſſume: *Vade popule meus, intra in cubicula tua, & claude oſtia ſuper te.* paululum ad cor reſſuſus, Dei in te merita perpende, cui amorem debes ſuper omnia: quem ſi illi deneges, ſalutis æternæ jaçturam facis.

Cap. 16.

In ſilentio iſto evigilat fides, & radiis ſuis animum colluſtrans admirabiles effectus parit.

2.
Exemplū
utilis con-
ſideratio-
nis.

Anno circiter 1280. duo viri nobiles, quorum alter Carolus (qui poſtea Abbas Villarienſis, ſanctitate celebris Pedum iſtud illuſtravit) alter Gerardus vocabatur, ab equeſtri haſtiludio, quod Torneamentum vocant, Wormatiâ Moguntiam iter cùm relegerent, & longo tractu prata vernantia, variisq; floribus inſperſa occurrerent, conyenerunt inter ſe de ſilentio ſervando toto illo tempore, quo amœnitates illæ oculis illuderent; ac deinde quibus interea temporis cogitationibus animum occupaffent, urimque ſe communicaturos ſpouderunt. Alter ergo amœno illo itinere confecto, vidiffſe dixit in illis florentibus campis mundi fugientis ina-

ginem, cujus dona, deliciæq; citius defloreſcunt, quàm omnis illa agrorum amœnitas evaneſcat: alter idem ſibi dum illa conſpiceret in mentem veniſſe, aſſirmat; neque hinc hæſerunt, ſed mutuis ad amorem æternorum colloquiis accenſi, votum de deferendâ vitâ liberiore, amplectendâ monaſticâ emiſere; in qua ſcilicet, ſine impedimento vacarent amori pulchritudinis nunquam perituræ. Reſſoruit nimirum ex illo florum aſpectu in eorum animis fides, & hæc ſuis flammis voluntatem accendit. Adeo verum eſt, pium ſilentium, Dei cognitionem acueret, & ab hac excitatum amorem ſanctum in animis noſtris incrementa capere longè maxima.

Par momentum & incentivum amoris eſt in *Oratione*, & qui cum cæco Euangelico frequenter rogaret, *Domine, ut videam*, experientiâ diſceret Jeſum Chriſtum, verum animarum ſolem exiſtere, qui nihil magis habet in votis, quàm aperire mentis noſtræ oculos, & pulchritudinis ſuæ radiis ita illos tenere occupatos, ut nullo deinde rerum fugientium aſpectu capiuntur. Virum olim novi generosâ ſtirpe progenitum, qui cùm aliquot annis libertatis æſtu abreptus in fide etiam Incarnationis Filij Dei fluctuaſſet; toto tamen illo tempore brevi orationculâ Deum quinquagies compellabat, divini

3.
Secundū
Oratio.

Exem-
plum.

divini Solis radium aliquem implorans, & dicens: *Noverim te, prima Mundi, & rerum omnium Causa; tu me quaeso à salutis aeternae periculo eripe*: affulsit tandem ille radius, cujus ductu emerit è vitiorum errorumque salebris, ac deinceps vitâ cum virtute transactâ gloriosâ morte pro Rep. & felici pro aeternitate defunctus est. Ad hanc lucem sancti amoris altiore continenter à Deo flagitandam, nos Spiritus sanctus S. Jacobi verbis invitat: *Si quis indiget sapientiâ, postulet à Deo, in fide nihil hastians*: nullo repulsæ metu in impetrando dono, quod libentissimè cæcis mortalibus divina Bonitas impertit.

O Sapia! ô fons lucis increata! quàm parvo donum tuum constat hominibus (quid enim facilius petitione?) & tamen quàm oscitanter ad tui consecutionem aspirant!

4. Tertium lectio.
Tertius fidem excitandi modus à piorum librorum *Lectitatione* petitur, quibus rerum æternarum cognitio perficitur, dum in illis discussio rerum fugientium velo, ipsa sancti amoris pulchritudo atque felicitas clariùs emicat, suosque radios potentiùs in animos legentium jacit. O quàm optandum est, ut plerique, qui in Republ. præcipuis muneribus funguntur, & legendis audiendisve litigantiû causis dies integros consumunt,

temporis aliquid piæ lectioni ad divini amoris igniculos excitandos impenderent! majori id animorû suorum fructu peragerent, quàm dum in alienas lites prorsus incumbunt, exsucca & arida exigua interdum amoris divini curâ, nullo certè cælestis unctionis incremento.

O sint pauca lineæ ex vita S. Antonij ab aulicis Imperatoris prope Treviros (ut Confessionum lib. 8. narrat S. Augustinus) attentius perlectæ ita animum unius ex illis immutarunt, ut conjectis in amicum oculis eum ita compellaret: *Dic quaeso te, omnibus istis laboribus nostris quò ambimus pervenire? majorne spes nostra poterit esse in palatio, quàm ut amici Imperatoris simus? & ibi quid non fragile, plenumq; periculum? & quamdiu istud erit? amicus autem Dei esse si volvero, ecce nunc fio.* Dixit, & iidem amoris, quo flagrabat, facibus socij animum accendit, amboque, abjectâ rerum humanarum curâ, novæ vitæ in monastico secessu fundamenta jecere: habebant ambo sponas, quæ hoc audito etiam ipsæ virginitatem Deo dedicarunt. O! quàm ab una lectione pij codicis beata lux animos istos percussit, quæ & à pedicis, quibus implicati erant, illos continuo expedit, & alas addidit, quibus ad Evangelicæ perfectionis culmen, aeternasq; lauros capeffendas evolarent.

B Idem

5. Exem-
plum.

6.
Aliud.

Idem contigit in S. Aphra S. Hilarij filia, quæ 15. Decembris inter Sanctas colitur: Unica Epistola, quam Pater ab Arrianis in exilium coniectus ad illam scripsit, ad tantum Sanctimonix gradum eam eexit, ut post mortem inter Virgines in cælo, supremos honores adepta sit. Petebatur in matrimonium à viro nobili, de quo Pater certior factus, rogavit differret in reditum suum, invenisse se sponsum longè præstantiorem, qui è cælo genus & originem duceret, cujus pulchritudo rosas & lilia vinceret, cujus opes, & sapientia cæteris anteirent: adducturum illum secum, cum ab exilio domum reverteretur; quamobrem tantisper expectaret. Crediti Parentis denuntiationi puella, & tam arridentibus illecta promissis, omnium procorum ambitioni nuntium remisit, aditumque præcluserit. Redux Pater cum illi hunc Sponsum Jesum Christum esse aperuisset, & effusus in tanti Sponsi laudes, demum rogasset, an se illi vellet dedicare: annuit Virgo, tantæque animi propensione consensum dedit, ut Parentem rogaret, id quamprimum si fieri posset, executioni mandaretur. Hinc excitatus sanctus Episcopus, precibus apud Deum tam diu insistit, dum filix mortem dulcissimam ad instar somni sine morbo, aut alicujus doloris sensu ille im-

petraret, quo amantissimi Sponsi complexibus æternum in cælo fruere; cumque idem beneficium rogasset filix mater, id etiam sancti Episcopi precibus à Deo concessum fuit. Beata lectio quæ duarum feminarum corda paribus desideriis inflammavit, moriendi, & Deo fruendi, illasque eodem inclusit tumulo, & pari apud superos felicitate cumulavit. Utinam hujusmodi pia lectitatio frequentaretur à pluribus, & in eorum librorum pervolutationem succederet, qui pascendæ dumtaxat curiositati deserviunt, vel impuris alendis cogitationibus materiam præbent, aut ostentationi vanissimæ scientiæ fomenta subministrant. Meritò obtrudi posset hujusmodi hominibus, quod aliquando S. Paulinus in amico vitio vertit, quem literarum cupiditas & nimius amor longius, quam par erat, rapiebant. *Xeno- Epist. ad Iovium.* *phontem*, inquit, *Platonem, Caronem, Varronemque, perlectos revolvit, multosque, præterea, quorum nos forte nec nomina, tu etiam volumina tenes; ut istis occuperis, immunis & liber; ut Christum, hoc est, sapientiam Dei discas, tributarius & occupatus es: vacat tibi, ut Philosophus sis; non vacat tibi, ut Christianus sis.*

Sitantum valet ad permovendos animos muta lectio, quid faciet in pulpitis viva vox, aut etiam in privatis conventibus familiare collo-

7.
Quartum
sermo
pius.

8.
Exem-
plum.

colloquium, quod amoris sancti
pius ardor animarit? Quantos in
corde S. Augustini motus excita-
vit Smpliciani de Victorini con-
versione narratio? Quantum po-
tuit ad sanctioris vitæ iter capef-
sendum, cum quodam Masselino
de familia Electoris Moguntini
brevis, sed ardens S. Bernardi ser-
mocinatio? Quas flammæ in Pe-
tro Canisio accendit familiare
cum Petro Fabro de virtute seriò
prosequenda colloquium? Plenæ
sunt similibus exemplis historia;
unum tamen, quod mihi Henrici
Suso vita subministrat, silentio
præterire non possum: Sanctimo-
nialis quædam florente ætate li-
berioris vitæ abrepta illecebris, vi-
rum hunc sanctum morte peius
oderat, aciebatque se vivam defo-
di malle, quàm de rebus con-
scientiæ cum illo agere. Erant hæc
indurati in rerum fugientium a-
moribus animi iactabundæ voces:
quarum rationem non habens vir
sanctus, aliquando tandem cum il-
la agendi viam invenit, eamque
suaviter simul & fortiter alloqui
exorsus: Quousque, ait, ô filia, cui
Deus animum, in quo domicilium
figeret, est largitus, & donis in
hunc finem ornavit amplissimis,
libertatis amore nimio seducta,
hosti illius capitalissimo te totam
permittes? indignum prorsus est
te alterius esse, quàm ejus, qui te
tot ornamentis naturæ cumula-

vit: ecquis, oro, justius vernan-
tes carpat rosas, quàm is, cujus il-
læ sunt? Quæro te, ô quæ nobili-
tate & formâ præstas, nitidos illos
tuos oculos aperis; illiusque in pri-
mis memineris amicitia, quæ hæc
inchoatur, & æternum perseve-
rat: advertite quot perniciosum a-
morem damna sequantur, quos
tamen mundus ita occulit, ut illa
ejus sequaces non videant, in hac
& altera vita miseris & calamita-
tibus obnoxij: ne committas, ut
plus apud te valeant hostis crude-
lissimi, sed occulti artes, quàm il-
lius, qui totus amor est, amica in-
vitatio: fidem, si cor ei aperias,
tibi do, te continuò recipiendam
in ejus amicitiam, quæ & in hac
vitâ, & totâ deinceps æternitate
perennabit. Quid plura? Inge-
muit virgo, & erectis ad cælum
oculis: En me totam tibi permit-
to, ait, ô Pater, & hoc momento
omnibus rerum fugientium ob-
lectamentis nuntium remitto, &
me tibi dirigendam formandam-
que trado. Præstolabantur ad o-
stium Sodales, quæ tam longæ
moræ pertæsa, metuentes etiam
ne quid in illa mutationis accide-
ret, clamarunt finem tandem col-
loquio imponeret. Fecit illa: sed
illis jam proxima: Valet, inquit,
sodales, satis diu in vestra con-
suetudine tempus miserè perdidi,
nunc mihi consulere statui; me, si
libet, imitemini; alioquin æter-

nùm vobis valedico. Excepta fuit omnium risu, & verbis contumeliosis, quæ sequenti die majoribus animis iterum obtruserunt; sed frustra: contempsit enim omnia Virgo victrici constantiâ, quàm ad mortem usque tenuit; cuius fructus ineffabiles collegit postea in cælo, tota æternitate illis fruitura, dum contrâ nonnullæ fortè ex consodalibus gemunt apud inferos, & vanitatis, inconstantiaque pœnas nunquam finiendas miserè luunt. Ita fortem & sanctum amorem parturit solida piaque colloquio; cum illam fides & amor animavit. Huic fidei charitati coniunctæ promissorum divinorum adimpletionem, & ex malis fortiter toleratis aggestas lauros, & rerum bene gestarum gloriam refert accepta in sua ad Hebræos Epistola S. Paulus Apostolus: de qua cum Augustino dicere possumus, eam radicem esse omnis bonæ actionis; oculum, quo sanctæ in scopum diriguntur intentiones; gubernaculum, quo voluntatis nostræ navicula ad portum charitatis appellit; præcipuumque ejus munus esse, ex eharitate operari, aded ut *si sine dilectione sit, sine opere erit*. Ama igitur, sed antè fidei facem accende, quæ an objectum amore dignum sit, examinet, probatumque proponat voluntati. Audiamus iterum Augustinum: *Nam jobis dicitur:*

In Psal. 31.

Nihil ametis, absit: pigri, mortui, detestandi, miseri eritis; si nihil ametis. Amate, sed quid ametis, videte. Si rerum fugientium amori mentem implicamus, cæcorum more aberamus, Deoque injuriam facimus, qui amandi facultatem cordibus nostris indidit; aquam crystallinam per canales impuros & lulentos ducimus, & gemmam pulcherrimam intra maleolens finietum abscondimus, arboremque ferendis paradisi fructibus idoneam pestilenti aurâ afflamus, sterilemque reddimus & rivuli limpidissimi fluentes aquas, quibus & animæ hortulus irrigandus, & flores amœnissimi Deoque pergrati producendi erant, in cloacas fœtentes derivamus. Purga ergo amorem tuum, ait idem sanctus, & aquam fluentem in cloacam, converte in hortum. Quales impetus habeas ad mundum, tales habeas ad artificem mundi. Sed ante omnia, fac fides in te velut sopita exhortetur, & evigilet; nubesque dissipet, quæ lumen æterni solis intercipiunt, & tenebras offundunt; tum experimento salubri videbis, ad eum modum, quo verno tempore, sole cursum suum ad nos propius converte, novam velut faciem mundus induit, rident & florent omnia, aves dulcius modulari incipiunt, mille coloribus horti se vestiunt, & amœnitate suâ oculos, animosque mirâ voluptate perfundunt;

Ibid.

fundunt; ita si fides mentes nostras radiis suis illuminet, tum virtutes omnes, ad opera singulari perfectione adornanda, & beatos spiritus exhilarandos efflorescent: semperque verum erit, fidem ejusque lampadem operibus præluce-re oportere, si cætera salva esse velimus.

CAPUT III.

Non sufficit fides; sed Deus summo loco præterea habendus.

I
Duobus
modis
Deus
æstimantur.

ORatoris est pronuntiatum: *Vulgus ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat. Æstimatio est actus intellectus, quo rei alicui valorem & pretium damus: quod duobus modis fieri solet; aut simpliciter, aut per comparationem cum eo, quod illius obtinendæ gratiæ vellemus impendere, vel cum illa commutare. Ita qui pro adamante offert mille scuta, pluris illum æstimat, quàm qui centum. Ita si Solem totius cæli vastissimæ extensioni compares, exiguus videtur; si cum terrâ componas, (quam centies, & quadragesies magnitudine vincere dicunt Mathematici) magnæ molis esse censebis. Quid, quæso, est guttula, quæ ex situla, quæ aquam hauris, in puteum relabitur? quid pulvisculus,*

qui in bilancem iniectus, tam levis est, ut illam in alterutram partem inclinare non possit? quid atomus, qui tam exigua, aut prope nullius est quantitatis, ut secari non possit? & tamen omnes gentes, & longis terrarum tractibus divisæ regiones, & Insulæ, si cum Dei præstantiâ, potentiâ & maiestate conferantur, pro nihilo (Spiritu sancto attestante) habendæ sunt. *Ecce genes, ait Isaias, quasi stilla situla, & quasi momentum in statera reputata sunt: & ecce Insulæ quasi pulvis exiguus.*

Religiosus è Sancti Dominici familia coram S. Agidio S. Francisci discipulo dicebat habendam S. Joanni gratiam, quod in principio Evangelij sui, tam altè ac magnificè de Deo, Patriisque Verbo locutus fuisset. Opposuit se contra Agidius, nihil de Deo Joannem elocutum asseverans. Mirantibus cæteris qui adstabant, ait: Si avicula ex ingenti vastoque monte arenæ granum abstulisset, illanque aliquid abstulisset diceretis? Cumque illi respondissent; Si levissima illa arenula cum reliquo monte conferatur, dicendum videri, nihil accepisse. Idem esto, inquit, de illis, quæ de Deo ejusque naturâ in sacris Paginis habemus judicium; illa enim si cum Dei incõprehensibili perfectione conferantur, longè abesse arbitror ab istius naturæ præstantiâ: de

2.
S. Joannes
de Dei
Verbo
quid
ferit.



qua, quidquid à viris sanctissimis, atque illuminatissimis scriptum dictumque unquam fuit, millies longius à iustà cum Dei magnitudine comparatione recedere sentio quàm aciculæ apex, cum cælo, terraque collatus, atque compositus.

3. Si alius ab hoc mundus existeret, tam præstantibus refertus Intelligentijs, ut earum infima cognoscendi vi, Seraphinos omnes post se relinqueret; demus præterea mille similibus mundorum myriades existere, qui maiori semper graduum inter Intelligentias excessu alter alteri præcellerent; qualem, quàmque in intelligendo præstantem oportere esse eam Intelligentiam, quæ ad supremum inter omnes omnium Mundorum Intelligentias esset evecta? Deo ferè parem parum sapiens aliquis diceret, vel certè in supremæ Majestatis cognoscenda natura supra cæteros spiritus ita provectam, ut omnes infinitis gradibus superaret. Illa tamen, quanta quanta est, quàm sublimis ille Spiritus de Deo formaret in se conceptio, ita inferior esset Deo, ut nulla propemodum censenda sit, si cum illa quam Deus de seipso habet, cognitione conferatur. Manet enim Deus, manebitque semper omni possibili intelligentiæ incomprehensibilis. Atque ex hac ratiocinatione

clare deducitur, quàm rectè pronuntiavit S. Chryostomus, cum, *Psalm. 43.* qui in rebus divinis ignorantiam fatetur, earum magnitudinem callere quàm maximè: *Est quædam, inquit, ignorantio in cognitione, & in ignorantia cognitio: dic mihi enim, si quis dicat se posse mare metiri, & scire quot habeat cyathos, an non is maximè est, qui ignorat, quid sit mare? Quid si alius dixerit, se nescire & cyathorum numerum esse innumerabilem, is maximè cognoscit quod sit: idem in Deo prorsus contingit, ut is melius eum nosse dicendus sit, qui nullo intellectu humano comprehendendi posse proficitur.*

4. Nullibi ferè in S. Augustino altiores mentis volatus & conceptus videas, quàm ubi sese offert de Dei magnitudine agendi materies. Audiamus illum super hunc Vatis Regij verbum, *Quoniam cognovi quod magnus est Dominus, si illi, inquit, diceremus: Rogamus te, explica magnitudinem illius; nonne fortè responderet nobis: Non est valde magnus, quem video, si à me poterit explicari.* *Augustini de Deo magnitudine iudicium. Psalm. 34*

Quàm verò homini Deum amanti gratum illud & suave, quod super illa eiusdem Vatis, *Magnus Dominus & laudabilis nimis; eructare potiùs dicas quàm eloqui. Volebat dicere, scilicet Vates de Deo, quantum magnus, & si tota die diceret Magnus, Magnus; finiret aliquando, quia finitur dies, magnitudo verò illius ante* *Psalm. 94.*

rum persecutionum notitiam evexisset, incumbere de iisdem ad populum verba facere, dicturum: Ire, quis, quantusque sit Deus, vobis edisserere non possum: quidquid enim de illo in sacris paginis legitur, quidquid aliorum scriptis vulgatum est, quidquid hinc ad mundi usque finem dici proferrique ab hominibus potest, nihil est si cum illa, quam Deus in se continet, abysso comparetur, & minor est sine termino comparatio, quam si arenula cum Universo componatur: animus, qui non ex aliqua studij contentione, sed unctioe Spiritus experientiaque hanc hausit de Dei praestantia notitiam, si verbis illam explicare voluerit, male se potius de Deo loqui, eiusque detrahere gloriae & Majestati, & quodammodo blasphemare, quam quid est Deus, oculis subijcere iudicabit. Ita sancta illa, quam Deus in cellam vinariam induxerat, sapidaque & eminenti suatum perfectionum cognitione illustrat, de earum ineffabili praestantia sentiebat.

8.
Et S. Augustini,

Hæc sublimis de Deo existimatio, solis simplicis, sed vivæ fidei innixa principijs etsi non parum obscuritatis & ignorantiae secum trahat, sufficit tamen ad ingenrem Dei amorem in nobis excitandum: atque hoc est quod S. Dionysius Areopagita significare velle videtur his verbis, *Ignorè ad Deū*

*confergere, verè enim hac via compendiosius, quam conquisitis studio rationibus ad illas sanctioris amoris flammam concipiendas fit gradus: quâ in sententia fuisse Picum Mirandulam virum tam literis, quam divini amoris exercitatione illustrem libenter lego: qui hanc per ardentem voluntatis affectionem amoris obtinendi rationem primo faciliorem, tum breviorum; denique minus periculofam esse asserit: cui lucem adfert S. Augustini monitum, dum imbecillitatem intellectus in divinæ Majestatis excipiendis radijs agnoscens, vires omnes animi ad amandum, & laudandum Deum, ut convertamus exhortatur: *Bonus est Deus; quale bonum quis dicat? ecce non possumus dicere, & non permittitur tacere; nec loquamur; nec taceamus: quid ergo faciemus; nec loquentes, nec tacentes & inibilemus: hoc est, ut paullo post se explicat, deseramus illi vocem ineffabilem gaudiorum nostrorum: omnem amaritudinem facultatem, viresque omnes in desiderabili illo amoris igne consumamus; imitemurque aliquo modo, sed longè utiliori & feliciori Philosophum, quem dicunt, cum causam fluxus & refluxus in Euripo intellectu consequi non posset, in eum se coniecisse cum his in ore verbis: *Cum non possim te capere, tu me accipe. Satis sit nobis in hoc amoris sancti negotio hoc***

1. Cap.
Theolog.
mythoc.

Psal. 102.

in

in primis scire Deum ineffabilem, incomprehensibilemque & sanctis affectionum repetitionibus habenas laxantes, dicamus continuò, cum S. Francisco: *Deus meus, & omnia.* Pater ille meus, protector meus, provisor meus, studium meum, scientia & sapientia mea, occupatio mea, quies mea, refectio mea, spes mea, desiderium meum, timor meus, amor meus, velle & nolle meum; thesaurus meus, opes meae, gaudium meum, voluptas mea, felicitas mea, aeterna Paradisi mihi possessio, & unus mihi omnia: supra quem nihil est, infra quem, & extra nihil amore dignum: nolo alium cordis mei possessorem præter ipsum: reliquis nimirum remitto, dummodo ipso non caream: mihi ille unus erit semper omnia; imò erit Omnia.

CAPUT IV.

Quantum cupiat Deus à nobis amari.

I.
Deus ab homine amorem petit.

FERunt S. Franciscum dicere solitum: *Quis sum Deus meus, ut de me cogites, & in magna illa mente tua locum aliquem mihi dones?* Eundem ferè sensum cecinerat antè Regius Vates: *Domine, quid est homo, quiddam memor es eius?* Sed & Sanctus Job, cum hominis

miserias attulisset in medium, quæ illum, ut vile mancipium foedant, & lacerant, admirabundus exclamat: *Et dignum ducis super huiusmodi aperire oculos tuos?* Sanè qui ex una parte magnitudinem & Maiestatem Dei propiùs intuetur, & illam velut speculum divinitatis tot in se videt continere perfectiones, ut cum ingenti gaudio pascere possit divinæ mentis aeternam contemplationem, habet unde miretur, tantam Celsitudinem eò usque se demittere, ut de tam vili & miserabili creaturâ cogitare velit, & illius regendæ curam aliquam suscipere. Est tamen quod magis admiror, Deum nullius indigum, seipso beatum, à nullo dependentem, aut felicitatis suæ particulam emendicantem; à nobis nihilominus amorem efflagitare, idque tanto ardore, ut omnia hominum, Angelorumque inflammatis desideria, vix exiguae scintillæ illius comparatione videantur: quin velut suæ Maiestatis oblitus, eò usque descendit, ut illum velut deprecator exigat, si eò magnus aliquis inter homines sese demitteret, quàm parvam, aut propè nullam dignitatis suæ rationem habere videretur! Deus tamen etiam aliquoties repulsam passus instat sæpius, & ab homine amorem suum velut donum sibi longè acceptissimum dari etiam atque etiam

postulat.

2.
Instar
mendici.

Deuteronomij.
cap. 10

Populum Israëliticum Deus ad suum amorem ingentibus beneficiis obstrinxerat; ille tamen in benefactorem suum iniuriosus, vituli aurei adoratione, ac repetitis murmurationibus contumeliam pro gratiâ reddiderat: quid ageret hîc tanta, tamque indignè violata Maiestas? amorem iterum & honorem rependi sibi pro beneficijs rogat. Audiamus Moysen, si placet, velut legatum eius, & interpretem: *Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum, & servias Domino Deo tuo in toto corde tuo & tota animâ tuâ &c.* Miranda sanè tantæ Maiestatis dignatio: eam tamen magis suspicies, & velut attonitus demiraberis, si tantâ demissione non contentum ad instar mendicabuli per plateas & vicos amorem istum postulante intuearis: *Sapientia clamitat in plateis.* Vox clamitat, si SS. Patres Augustinum, & Gregorium audimus, desiderij magnitudinem ostendit; clamor magnus, desiderium magnum. Quod additur à Spiritu sancto, stuporem auget, si attendatur. *Extendit, inquit, manum suam ad instar mendici, ut ad instar doni gratissimi amorem nostrum accipiat.* Sed hoc divini Dei cum homine in amore petendo commæ reium clarius discemus

à Christo, qui quæ in corde Patris æternitas tota recondita tenuerat nobis aperuit: *Vnigenitus, ait dilectus eius discipulus, qui est in sinu Patris, nobis enarravit.* Totus vitæ illius decursus testimonium est continuum desiderij quo flagrat, amoris nostri obtinendi. Huc spectant tot sponte quasi contempus, tot itinera, tot supplicationes, & ad confluentem populum habitæ conciones: cum audis illum dicentem: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Velim tibi persuadeas verba illa esse ad instar scintillæ è flagrantissimi pectoris fornace erumpentis: vult ipse suum sanguinem altius clamare, testarique ardorem animi magis quàm vocem. Aulicum legimus cum filium Davidis Ammonem exhaustum quodammodo viribus & languore confectum intueretur, illi dixisse: *Quid sic attenuaris macie fili Regis?* huncque respondisse duobus verbis: *Thamarem amo:* si amantissimum Jesum pariter interrogemus, cur palleat, cur macie extenuetur, cur se laboribus conficiat, cur ploret, sanguinem sudet? cur denique se nobis exhibeat, qualem pluribus ante sæculis descripsit *Isaias: Vivum dolorum, & scientem infirmitatem?* respondebit procul dubio: *Homines amo.* Si ulterius rogemus, quorsum homines ita amet; dicit tibi

3.
Ed quan-
ta fecerit

per

per famulum suū S. Augustinum: Amo ut amer, & amore ipso beatos efficaciam eos, qui me amaverint. Quid? quod non tantum id in cōmuni ab omnibus postulet, sed etiam ad singulares personas, imò ad laborantem infamiā Samaritanam supplicabundus accedat, dicens: *Mulier da mihi bibere.* non tam de puteo Jacob, quam de fonte amoris è corde tuo scaturientis; quod ipsum expetit in cruce exclamans, *Sirio.* Si Princeps aliquis febrī ardente laborans à puero suo honorario haustum frigidæ postulet, è vestigio sollicitissimè puer eius desiderio faceret satis: & nos qui amoris fontem etiam brutis apertum habemus in pectore (quot enim inter homines in equis, canibus, avibus amorem suum collocant?) Deo nostro rivulos inde affatim deduci postulanti, imprudenter æquè ac impudèter denegamus. Quis non ad hæc attonitus hæreat? sed est, quod magis in admirationem nos rapit; quod tanta maiestas nullius indiga, muneribus, quæ in thesauris suis habet; pretiosissimis, nos sollicitet, & infinito etiam pretio amorem hunc nostrum mercari velit. Non est contentus creaturarum, repetitâ singulis momentis per conservationem donatione, quæ sunt velut amoris internuntia; sed ad liberalitatis incomprehensibilis profusionem

4.
Simile.

5.
Quanta
donaverit.

se se extendit; ut sibi parem filium amori mercando velut pretium hominibus impertiat. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret; quin & ipse filius semetipsum tam prodigè hominibus donat, ut post mortem pectus sibi lanceâ aperiri voluerit, & cor medium dividi, tum ostenderet, se omnia largitum esse, sanguinemque omnem amori nostro emendo profudisse, tum ut sciremus Ecclesiam tum genitam nosque omnes, partus cordis sui & amoris esse: quo tamen tam ineffabili munere non contentus, quasi tanta largitione amorem suum non esset satis contestatus, voluit in venerabili Sacramento dono singulis diebus repetito relinquere seipsum, munificentia ita omnem captum excedente, ut si per impossibile Deus alius existeret, eiusque benevolentiam liberalitate sibi vellet conciliare, etsi thesauros omnes suos profunderet, nobiliori munere eum demereri non posset.

Hinc evidens est, quando res aliqua creata nos ad sui amorem provocat; nos meritò illi occinere posse, quod B. Agnes filio Consulis: *Quoniam ab alio amatore præventa sum.*

Sed non hic se continet divinus Amator, & amoris nostri, ut sic dicam, Procus: sed fidem in futurum pro maioribus obligat, C. 2 vadem-

6.

Et promiserit.

vademque se constituit: *Magna accepimus, majora promissa sunt nobis*, dicebat S. Franciscus: illud ipsum, cujus commemoratione primum Parentem nostrum dæmon in fraudem induxit, promittit Deus: *Eritis sicut Dij*, sed quando? primò in hac vita: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, tum in alterâ: *Scimus, quoniam similes ei erimus*, ait S. Joannes: Amori enim proprium est, ad similitudinem amantes provehere: quia amor aut similes reperit, aut facit: quæ promissiones tanto pluris à nobis faciendæ sunt, quanto sunt humanis infallibiliores, quæ fere cum mendacio sunt conjunctæ, & plus fraudis, quàm fidei secum trahunt. Nulli, inquit S. Augustinus, *desideranti conceditur plus de illo existimare, quàm in se habet, & quantum quisq; veniens existimare potuerit, plus perveniens inventurus est.*

L. i. de doct.
Christ. c.
37.

7.
Et vincitur.

Lib. de Re-
surrect.
carnis.

Verùm cum Deus tot beneficiorum illicitis, & promissionum tanta excellentia nos ad amorem sui non provocari animadvertit; ad minas convertitur, & fulgure, quo æternos ignes non amanti accendat, armat manus quo alio & feliciori nos igne amoris inflammet; neque unquam ad illa extrema mala descendet, nisi nostra illum cogat perveracia: *De suo optimus*, dicebat Tertullianus, *de nostro justus*: istis ergo terroribus tundere cordis ostium, & amori sancto aditum aperire, nosque unice bea-

re in animo habet. An tibi videtur tanta Majestas in hoc amoris commercio longius posse procedere? audi & mirare, quò tandem evadat hoc amoris à nobis impetrandi in illo desiderium? post tot munera, supplicationes, minas, ubi ab homine spe frustratus & ignominiosam repulsam passus est: cum tantæ injuriæ puniendæ ignes inferorum pares non esse videantur, pœnam omnem nihilominus remittit, si amorem illi suum reus homo velit impendere. Vix in historiis par entomium reperies Augusti laudibus, cum vitæ suæ insidiatori, de insidiis convicto culpam remisit, hocque unum beneficij loco petiit; ut tum novam inter se amicitiam ordirentur, præteritis oblivione sepultis. Sed longè excedit divina in homines clementia, quæ non modò hujus vitæ amissionem; sed suppliciorum æternitatem non semel, sed sæpius eidem homuncioni amantissimè condonat, & velut ingenti victoria potitus, cum ab illo amari se videt, Angelos ad gaudij participationem invitat: *Congratulamini mihi*, inquit, *quia inveni drachmam*. Denique is est Deus, de quo longè veriùs dici potest, quàm de homine illud Canticorum elogium, *Cum dederit omnem substantiam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.*

Audiamus ratiocinationem quâ Margareta Lotharinga, Alençonij Du-

8.
Augusti
clementia.

9.
Margare-
tæ Lotha-
Du.

ringiæ de
divina li-
beralitate
judicium.

Ducissa ad se totam divino Amori
mancipandam sibi calcar addebat.
Erebus creatis nulla se nobis to-
tam donat, sicut Deus: Sol radio-
rum suorum nos aspergit por-
tiunculâ; aëris ad respirandum
exiguam partem haurimus; aqua
cum illam sistere volumus, quâ
potest diffluit; terræ possidemus
particulam, quod ipsum in cæte-
rarum rerû usu evenire videmus:
Deus totum se nobis elargitur,
eoque toto, si volumus, fruimur:
qui ergo fieri potest, ut tanto ar-
dore ea prosequamur, quarum
possessio per particulas, & velut
frustula nobis conceditur; Deum
verò deseramus bonis omnibus
circumfluentem, qui nos integrè
possidere, & vicissim à nobis pos-
sideri completissimè, tantis desi-
deriis ambit, & prosequitur.

IO.
Et Baltha-
zaris Al-
vares,
Balthazar Alvares cum Deo
post Missæ sacrificium gratias a-
geret, divino lumine collustratus
didicit, quem modum in reddendo
divinæ Majestati amoris debi-
to hominem tenere oporteret:
Omnia à me Deo donanda intel-
lexi, inquit, tempus meum, recrea-
tiones animi, amicos, & quidquid
supereft, ac præsertim quidquid est
optimum, & cum his omnibus
meipsû: quandoquidè ex sua ipse
parte parva & magna nullo excep-
to largiatur quàm liberalissimè, pa-
ratuq; sit semper augere in nobis
istam bonorum suorum profu-

tionem, in magnæ erga nos bene-
volentia argumentum. Ad hoc, in-
quit, cæleste lumen, tenero pieta-
tis sensu animus, meus affectus
fuit, seque ad Deum inclinavit,
tantæ veritatis claram notitiam in
singularium beneficiorum nume-
ro reponens.

Et verò ingens est beneficium
sapida ista cognitio, quâ Bonita-
tem istam infinitam amore nostri
ita ferventem, & incitatam con-
tuemur, ut exaggeratâ beneficio-
rum congerie, videatur in id u-
num incumbere, ut amorem sui à
nobis impetret, illumque firmiter
cordibus nostris inserat, nosque
velut Amoris sancti captivos in
triumphum ducat. Res sanè mira-
bilis, atq; prodigiosa visa est Gui-
lielmo Parisiensi viro docto & in
hac Amoris palæstra exercitato,
hominem tot beneficiis velut in-
censis carbonibus circuminctum
nihilominus ad instar glaciæ rige-
scere, & in medio divinæ Char-
tatis incendio Babylonicæ fornacis
flammas superante nullo vivifi-
ci caloris actu commoveri. *Quis
ad hoc, inquit, diabolicum terrificum
miraculum non obstupescat?* Verè mi-
raculum, cum nivem & glaciem
videamus ad Solis radios exiguò
tempore colliquescere, animum
verò nostrum Deo, qui ignis con-
sumens est, & flammis ab illo
tantâ beneficiorum liberalitate in
nos simul coniectis, non dies, aut

II.
Et Guiliel-
mi Parisi-
ensis.

mensis, sed annos integros resistere experiamur.

12. Ah! Deus meus quis ad tantam
Et B. Jaco- cordis nostri duritiem non ingemiscat? habemus amorem, quem
poni. vilissimis impertimus, & ad bonitatis exiguam in illis perlucem scintillam muscarum instar circumvolitantes, alas comburimus, & pro illo, qui illas condidit, qui totus Bonitas est, totus Amor, nullo dilectionis sensu commovemur. Merito hic cum B. Jacopo nobis flendum, & uberrimis lachrymis torpor iste & segnities deploranda. Detinebatur ille in carcere Romæ, quem cum amici suspiria continenter trahentem, & lachrymis perfusum reperirent & tanti doloris causam inquirerent: *Quia, inquit. Amor non amatur.* Verè Deus Opt. Max. fons & centrum Amoris, non amatur, quippe qui in cordis nostri arce expugnanda, rebus creatis, quæ Bonitatis ipsius umbra sunt, & rudes picturæ, non sine perfidiæ nostræ insigni notâ cedere cogitur. O facinus lamentabile!

13. Averte à nobis Deus optime,
Conclusio hanc rerum visibilium fallaciam,
redaman- hoc cordis humani velum, has palpabiles tenebras discute: fac ut
dum esse res ipsæ creatæ nos accedentes
Deum. fastidiosè repellant, acquisitæ conrinuò deserant, possessæ spinarum aculeis torqueant, persequentibus fugiant, fallant innitentes,

& beneficiorum oblivionem pro gratiâ rependant, ut animus tandem ab earum fucò, fascinoque liber tibi debitum amoris, quantâ par est fide ac integritate, persolvat; debitum, inquam, amoris, qui tot titulis tibi totus rependi debet; quemque ab homine tibi obæratissimo amantissimâ importunitate tam misericorditer exigis: atque hoc erit donorum tuorum complementum. Hoc verè sit inter vitæ occupatissimæ negotia negotiorum maximum, ut toti in cælestis amoris commercio collemus mutuas operas; & unusquisque sibi à sancto Augustino dictum putet: *Rape ad eum animas, L. 4. Conquas potes, & dic eis: Hunc amemus, sess. 12. hunc amemus:* idque & verbis agamus & precibus, & supplicatione ad Deum converfi nobis & aliis hunc amoris thesaurum impetremus; quia, ut suo sensu didicit, & deinde inexpertos monuit idem Sanctus: *Quaquaversum se vertit anima, ad dolores figitur, præterquam in te Deus.* L. 4. c. 10.

C A P. V.

*Omniem felicitatem hominis
in amore divino sitam esse.*

Neminem de veritate hujus
dicti ambigere posse arbi-
tror, qui ad S. Augustini, imò Ve-
ritatis
I. Felicitas
in amore
confistit,

In Psalm.
121. in
Prooemio.

ritatis ipsius testimonium appellare voluerit. Bonorum, inquit ille, *summa nobis Deus est, Deus est nobis summum bonum; nec infra manendum est, nec ultra quaerendum; alterum est frivolum, alterum nullum.* Controversia est inter Theologos, in quâ de animi facultatibus sive potentiis sita sit præcipua felicitatis nostræ ratio in altera vita: sed quidquid sit de ævi illius infiniti perennaturâ beatitudine, in confesso est, quamdiu vitalem hujus mundi ærem trahimus & expiramus, primas, & præcipuas in possidenda beatitudine amori partes esse concedendas, qui nos divinos, & Deos quodammodo in hujus vitæ peregrinatione efficiunt. *Talis est, ait idem Doctor, quisque, qualis ejus dilectio: terram diligis? terra es: Deum diligis? quid dicitur? Deus es. Ego dixi, inquit, Djesus.* Idem usavenit in amore, quod in connubiis: si puella è jure suo ad Regium conjugium provehatur, Regina est; si verò jungatur infimæ sortis homini, in suæ vilitatis fordibus delitescit. Pari ratione Voluntas hominis Deo per amorem copulata, nescio quem divinitatis gradum ascendit: sed rebus creatis adhærescens, de stirpis suæ nobilitate deturbatur, earumque luto coinquinata vilescit. An non illum inter homines meritò beatum dixeris, qui virtutum suarum pulchritudine intuentium

2.
& bonitas
morum.
Homil. 2. in
1. Joannis.

oculos præstringit, cæterosque qui eo familiarius utuntur, actionum suarum suavissimo odore demulcet: mores & amores, ut nominum gaudent similitudine, ita parum naturis discrepant: *Non faciunt enim bonos, vel malos mores, nisi boni vel mali amores,* ait Augustinus, ad Macedonianum scribens.

Mirum in modum huic veritati robur adjicit Pauli Apostoli auctoritas; qui de donis gratuitis, & virtutum heroicis actionibus discurrens, ita charitatem in sublimi dignitatis gradu collocat, ut nihil cæterarum virtutum opera ad veræ felicitatis consecutionem facere videantur, si charitas desit. Da mihi hominem, qui dono linguarum pollens, & Angelicâ eloquentiâ præditus audientium animos flectat quò velit, eos ad perfectionis culmen evehat, imò mundum ipsum universum ad virtutem capeffendam inducat: O hominem, dices, beatum! sed væ illi, si amore divino vacuus est, cymbalum est tinniens, & crepitaculum aliis, non sibi proficuum, quod morte contractum æternis ignibus dabitur pabulum, infeliciori multo sorte, quàm æs aliquod campanum, quod contusum & fornicati redditum antiquam formam potest recipere; cum ille alter cælestis eloquentiæ præco charitate destitutus æternū patiatur incendium nullâ rerū expectatione meliorum.

Epist.

3.
Sine amore
nulla
virtus.

Da

4.
Nullius
pretij
scientia,

Da mihi praterèa hominem, qui sublimi rerum cælestium cognitione imbutus, adinstar aquilæ pennis contemplationis evectus arcana divinitatis penetrarit; an non huic tantam felicitatem invideres æmulatione sanctâ & Christianâ? sed cave; hæc nulla sunt sine Charitate, cujus minimaportio omnibus istis præponderat. Quàm appositè S. Egidius S. Francisci ascecla cum viro eminentis scientiæ differens, dixit: Quid profunt protenta agrorum spatia, si defectu culturæ nullum fructum afferant? Hac etiam cogitatione collustratus Cardinalis Peronius supremæ ægritudinis tempore, lachrymas dedit atque suspiria, dicens: Hominem literis addictum penitentiâ duci tam temporis, quod excolendo intellectu, quàm voluntate plus studij, operæque contulerit: quod si Deus sibi vitam prorogaret, aliam se agendi rationem initurum.

5.
nec mira-
cula.

Sed en quod longè impensius demirere: da mihi hominem Thaumaturgum, qui cum Josue solem sistat, cum Gregorio Montes loco moveat, cum Bernardo miraculorum multitudine non Europam tantum, ut ille, sed mundum impleat: si divini amoris flammis careat, nullius est, & miseriarum potiùs, quàm felicitatis prodigium. Sed quæ fieri potest, inquires, ut tantus rerum mirabi-

lium parator, & divinæ Majestatis ac virtutis velut instrumentum, Amore Dei sit destitutus? Id ita se habere de fide tibi credendum, nisi divinis oraculis fidem derogare volueris. Audi Christum in Evangelio declamantem: *Multi dicent Math. 7. mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo demonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus: & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Ubi rectè verba illa *multi*, & *multas* suo, ut solet, perspicaci judicio ponderat S. Augustinus: quòd, non ad singularem hominem ista pertineant, sed multos apprehensura sit illa calamitas; quos quidem Judex Christus non negat miracula multa, non dæmonis auxilio, sed in suo nomine perpetrasse; quia tamen ab eorum cordibus exulavit Charitas, sententiâ maledictionis velut fulmine in die judicij illos percussum iri æternis damnandos incendiis.

O Amor divinæ, mortalium unica, ac suprema felicitas! quanto studio ab illis quærendus es, quanto amore, quantisque officiis colendus: cum actionibus humanis unus pretium des, & non tantum opera illa miranda, quæ protulimus, sine te nauci sint apud Deum; sed cæterarum etiam virtutum, & quidem principalium exercitatio,
si ab-

6.

si absis, omni pretio & loco careat. Effundat aliquis in pauperes fortunas omnes, rebus caducis nuntium remittat, claustro se includat, corpus pœnis oneret, & carnificis instar torqueat ac lace- ret; denique ignes patiatur & en- ses; si Amore Dei ista non facit, nulla sunt, nulliusque apud æter- num Numen mercedis.

7. *Tempe-
randa de-
sideria et-
iam bona.*

Col. 3. 7.
Sed dubitare fortè posset quis-
piam, an tam heroïca virtutum fa-
ciora edi possint ab homine sine
subsidio charitatis: sed huic dubi-
tationi facere satis unicâ ratione
videtur apud Cassianum Magnus
ille: Paphnutius, Apostolum scilicet
S. Paulum nunquam illa dictu-
rum fuisse, nisi futurum in spiritu
prævidisset, ut aliqui similia face-
rent nullâ præditi charitate. Fran-
ciscus Sales vir in discernendis a-
nimorum motibus exercitatissi-
mus, dum Virginem nimio amoris
impetu ad claustrum anhelantem
sistere nititur; multos ait, sæcu-
lum deserere, qui se non deserant,
qui que in hac mundi fugâ pacis &
quietis desiderio, inquietè & præ-
posterè seruiunt: amor enim pro-
prius, quo impelluntur, turbulen-
tus est, violentus, & effrænis.

Quid quod præclara Ecclesiæ
lumina Augustinus atque Hiero-
nymus, martyrij palmam non sem-
per ab Amore sancto procedere;
sed interdum velut furtivè ab ali-
quo gloriolæ appetitu infringi at-

que dehonestari asserunt: ac pri-
mò Augustinum audiamus. *Ecce,*
inquit, venit ad passionem, ecce ve-
nitur ad sanguinis effusionem, venit
& ad corporum incensionem, & ta-
men non prodest, quia charitas deest.
Hieronymus verò, ubi de insita
mortalibus vanæ gloriæ appeten-
tia, & quomodo eam in eleëm-
synæ distributione, castitate, præ-
dicationibus ad populum, labori-
bus quos pro Scripturarum inter-
pretatione, & animorum conver-
sione plurimi subeunt, sapius illa
irrepat, tandem hæc subjungit:
Dudum timeo dicere: sed dicendum est;
martyrium si ideo fiat, ut laudi & ad-
mirationi habeantur à fratribus, fru-
strâ sanguis effusus est. Videmus hîc
quid sentiant viri isti magni, ac
primus quidem martyrium sine
charitate, alter cum vanitate con-
sistere nō posse arbitretur, quod à
veritate non alienū puto, ut ex ha-
jus temporis veterumque historiis
colligi potest. Philosophus qui-
dam nomine Peregrinus, cujus
meminit Tertullianus, ob insanam
gloriæ cupiditatem famosus in
paucis, ut quò animus Philoso-
phiæ præceptis imbutus, patien-
tiæ & fortitudinis posset evadere,
populo ostenderet, nomenque
suum transmitteret in posteros,
ludis Olympicis, ac celeberrimo
totius Græciæ concursu struem li-
gnorum ingentem erigi iussit,
quam ipse tædam ardentem manu

*Serm. 50.
de verbis
Domini.*

Ad Gal. 35

8.
*Probat
exemplo
Peregrini
Philoso-
phi.*

D venti-

ventilans ascendit, & concione ad populum habitâ de heroicis virtutibus, quas in suorum animis inferere potest Philosophia, suo jam exemplo manifestum fore edixit, ac tādâ struem incendit, breviq̄ue spatio temporis in cinerem redactus, spectatorum aliis id ludibrio, aliis miraculo habentibus; diversam etiam scriptoribus istius ævi sentiendi materiam præbuit. Irridet illum Lucianus, demiratur Aulus Gellius, miserentur Christiani, & amentia accusant, qui ambitionis ignem non poterit extinguere, nisi alium accenderet, & flammâ pereunte consumptus, æternam poenitendi materiam in nunquam finem habituris incendiis reperiret.

9. Alio Juliano Villaverdij hæretici. Jungo alterum, quem magis fortassis mirabere, & miserabere.

Julianus Villaverdij inter Hæreticos sui temporis facilè antesignanus, atque è Gallia à suis in Hispaniam missus, ut suæ sectæ homines, qui latebant, in errorum pertinaciâ confirmaret, deprehensus, & ad Inquisitores fidei delatus, convectusq̄ue in carcerem est: rogarunt Judices Patrem Joannem Suares, virum è Societate Jesu, literis, sanctitate & concionandi præstantiâ celebrem, adiret hominem, videretq̄ue an rationibus posset eum ab erroribus abducere Ecclesiæq̄ue Romanæ reddere. Adit carcerem Pater, captivum-

que erecto atque alacri animo reperit, tantâ interdum perfusum lætitiâ, ut etiam fluere ex oculis lachrymâ, præsertim cum non sine voluptatis sensu, de sacrâ Scripturâ sententias proferret in medium, qualis est illa: *Benedictus Deus, qui consolatur nos in tribulatione nostrâ.* Et illa: *S-Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod simus filij Dei.* Mansit ille in errore suo obstinatissimus, damnatusq̄ue à Judicibus ad rogam, magnâ animi alacritate illum ascendit, & manantibus lachrymis oculisque in cælum erectis, quasi totus Amore divino colliquefecerit, non sine spectantium stupore vivus igne crematus est. Prudentiores, qui spectaculo interfuerunt, id demonis artificio tulerunt acceptum, qui Deo permittente & fovere hominis pertinaciam, animumq̄ue falsâ dulcedine perfundere amorisque erga Deum naturalis sensu tenerrimo commovere potest: ut enim fidem sine charitate mortuam dicimus, ita charitatem sine fidei fundamento subsistere non posse certissimum est.

Teneamus ergo pro comperto, comprobatoq̄ue, hominis felicitatem in charitate sitam esse, dicimusq̄ue cum S. Bernardo: *Nec absque charitate quodlibet magnum bonum suscipitur, nec cum illa quodlibet exiguum respuitur.* Non suscipitur sine illa omnium fortunarum

10.
Charitas dat actionibus pretium.
Epist. 41.

expos-

expoliatio, neque quorumlibet
perpessio tormentorum, & hau-
sus aqua ejus impulsu porrectus
præmio sempiterno compensatur.
Ratio hujus rei ab infinita Dei ex-
cellentia petenda est, qui cum ex
una parte ob bonorum suorum
copiam nullius egeat, ex altera ve-
rò parte, ob ingenitam sibi man-
suetudinem atque clementiam
mortalium pœnis non delectetur;
amorem nostrum unicum efflagi-
tat, tanquam spontaneum volun-
tatis sacrificium, cujus donatio
homini liberrima est, nec ad eam
alicui faciendam ullius violentia
adigi potest. Hinc est quòd sacræ
paginæ Deum semper in corda
nostra, ut amoris fontes & dispen-
satores, conjectos oculos habere
testantur; hinc Redemptor nos-
ter duos obolos vitula, ab amore
singulari donatos cæterorum lar-
gitionibus prætulit. Hinc si Deus
juberet me in levando de terrâ
stramine, eoque in terram iterum
conjiciendo toto vitæ decursu oc-
cupari, certusque essem nullum
aliud obsequium à me exigere, id-
que ego ingenti amore Deo ob-
sequendi, & divinæ Majestatis oc-
culos pascendi cupiditate conti-
nenter exequerer; majus isti ope-
ri pretium, majoremque apud
Deum gratiam conciliarem, quam
si altissimæ contemplationis pen-
nâ ad cælorum suprema raperer.

21. Beata Virgo non semper gestabat

puerulum Jesum, ulnive fove-
bat; dabat aliquod tempus occu-
pationibus domesticis, verrebat
domunculam, culinæ obibat mu-
nia: sed inter ista Amoris divini
ardebat incendio, & quam nos o-
peribus istis immiscemus amoris
proprij scoriâ, illam ipsa in cha-
ritatis ardentissimæ fornace deco-
quebat. S. Josephum cum matre
pueroque in Ægyptum profu-
gum, ut familiolam aleret, sæpius
Ægyptiis elocare operâ, & in ali-
cujus idololatæ domo dies totos
laborare coactum fuisse mihi per-
suadeo. Privabat se tum præsentia
aspectuque amantissimi Jesu, non
amoris intimi sensu, quo laborem
suum condiebat, & operi de se
contemptibili pretium dabat. Par-
ticulæ venerabilis Sacramenti, æ-
quæ ac majori hostiæ veneratio-
nem deferimus; quia in ista & hac
Christum æquæ præsentem agno-
scimus. Idem esto de operibus
nostris judicium: sint aliqua ex
iis hominum æstimatione præcla-
ra, sint alia vilia & abjecta, æqua-
lis utraque apud Deum valoris
erunt, si ab æquæ intenso amore
profluant. Animus noster in mi-
nima corporis parte totus est; ita
obviis quibuscumque actionibus,
etiam contemptibilibus voluntas
integrum amorem suum applicare
potest: quod à matre suâ fieri so-
litum scripsit Nazianzenus. Rem
domesticam ita tractasse ait, ac si

Exempli
B. Virg. &
S. Josephi,

12.

& matris.
S. Gregorij
Naz. orat.

D 2 picta 19.

pietatem colere nesciret; Deo vero ac divinis rebus ita se addixisse, ac si à rerum domesticarum procuratione plurimum abesset: nec commississe, ut alterum ab altero impediretur, sed potius mutuis subsidiis fulcirent sese atque confirmarent: Etsi enim exteriùs in varia munia velut divinis studiis incumberet, divino tamen amoris cor integrum servabat, cujus auspiciis militans à mane ad vesperam ab ejus signis non discedebat. Speculum in partes si comminuis, in variis fragmentis rerum oppositarum imagines æquè tibi reddet, ac si integrum permansisset; ita per operum multipliciter non dividebatur aut dissipabatur ejus animus, sed unus semper per amorem cum Deo existens, actiones omnes divino quodam colore & succo imbuebat. Si sacris conventibus intererat, silentium servabat unicè: venerandæ mensæ terga nunquam obvertebat, nec in divinum pavimento exspuebat unquam; nullo ob rerum fugientium jacturam dolore tangebatur, nec ex ejus ore luctuosa vox prius, quàm gratiarum actio erumpebat. Animi enim Deum amantis & ab illo redamati officium esse censebat, *τοῦ θεοῦ ἀποκρίσειν ἀνθρώπων ἐπικλήσειν*, divinis rebus humana cuncta submittere: ecce mulierem ab amoris sancti magnitudine & constantia

felicissimam, imò & maximam & pulchritudinis eximia. *Quantitas Serm. 27. enim anime,* ait S. Bernardus, *æstimetur de mensurâ charitatis, quam habet, ut quæ multum habet charitatis, magna sit; quæ parum, parva; quæ nihil, nihil.* Pulchritudinis etiam æstimatio à charitate petenda. *Quantum in te crescit amor,* dicit Augustinus, *tantum in te crescat pulchritudo; quia ipsa charitas est anima pulchritudo.*

Tract. 9. in Epist. S. Iohannis.

Sed quia ad felicitatis statum hoc etiam requiritur, ut hostibus vel careas, vel si ab illis oppugneris, superior evadas: hoc etiam ab amore sancto consequeris, ut ab illis potius timearis, quàm illos timeas: & si aggredi ausint, palmas ex illis reportes, & semper laureatus incedas. *Quemadmodum,* ait S. Chrysostomus, *si homo igneus incidat in medias stipulas, aut si quis ignem gestans luctetur cum eo, qui importat sœnum.* Hinc S. Augustinus suam Idithum, quo nobis hominem amore divino faucium repræsentat, quasi jam in felicitatis sinu conquiesceret, canentem inducit: *Bene est: ultra nihil volo, omnes hinc amo, neminem hinc timeo.*

I3. Charitas hostes hominis vincit.

Hom. 4. in 2. c. Act. Apost.

Et verò, quid Amanti Deum ad consummatam hujus vitæ felicitatem deesse potest, cum Deum videat, possideat, omnis boni fontem & auctorem? Audiamus de hoc iterum Augustinum: *Quisquis habet charitatem, ut quid eum longè mitti-*

I4.

Psalm. 49.

mitti-

mittimus, ut videat Deum? conscientiam suam attendat, & ibi videt Deum. Vult eum fortè videre sedentem in calo? habeat charitatem, & in eo habitat sicut in calo.

Aspiremus ergo ad Amorem tantæ felicitatis parentem, & corde potiùs quàm voce ingemimus vota his verficulis memoriae causâ conclusa.

15.
Ectus incense charitatis.

Animus meus te, mi Deus, solùm

aspicit,

Solumq; te suspiriosus respicit,

Et quidquid infra, quidquid extra

despicit,

Tu solus illum ter beatè respicis,

Boniq; compotem affluenter efficis,

Suprag; spem, suprag; vota perficis;

Quia solus intima, intime, intimus

afficis.

Si querit aliud, continenter desicis;

Si querit unum Te, evidenter proficis:

Amoris illi viscus alieni officit,

Dum fraudulenter mentis alas inficis:

Mibi ergo amorem datum, & tum sufficit.

CAPUT VI.

Neminem ob status impedimenta ab amando Deo excludi.

1. Ab amore Non puto hinc audiendos nonnullos, qui ob sui status oc-

cupationes à divini Amoris exercitatione excusari se posse arbitrantur. Primò libero arbitrio pollet quilibet, & voluntatis suæ, ac amoris dominus est, & cui vult illum donat, nec cujusquam precibus, imperio, violentiâ ab hac donandi libertate deturbari potest. Deinde diversitatem statuum & officiorum ad conservationem societatis humanæ & Reip. bonum, Deo auctore, & promotore, à viris Sapientibus inductam arbitrator. Quis verò est tam hebes, ut existimet aliquid, quod rei tam sanctæ, amoris scilicet divino exercendo impedimentum adferat, à suprema Mente profectum esse? Non est officij aut status defectus, sed voluntatis, quæ timore aut amore sui seducta, & honorum, aut voluptatis, aut lucri abrepta illecebris, aliud quàm Deum Deique amorem in occupationibus suis consecratur. Quid impedit hominem, dum negotiorum æstus fervet, quàm maxime velut Navarchum ad clavum sedere, & cursum suum ad eum portum dirigere, quem illi præfixit Deus? Quis dubitat divinam Providentiam, in tam variâ tamque distinctâ officiorum inter homines distributione unicam suam gloriam spectasse? Mutua illa opificum inter se dependentia, quâ tu meâ operâ indiges, & ego vicissim tuâ, mirabili nexu Reip. membra inter sese

Dei nemo impeditur.

D 3 deyin-

devincit, & ad mutuum amicitiam Dei que gloriam & amorem viam sternit, præsertim si membra illa in eum colliment scopum, quem in eorum admirabili symmetria spectavit Deus; sed ad singularia descendamus.

2.
Non pau-
per.

Pauperum primò ac mendicorum occurrit miseranda conditio, quos censebit aliquis tantâ sublevandæ inopiæ sollicitudine detineri, tot mentis aberrationes pati, ut de debito Amoris Deo solvendo, vix cogitationem suscipere posse videantur. Sed nihil minùs: an non in amandi facultate pares sunt pauper & dives? an non uterque fontem Amoris apertum habet in pectore, cujus aquas sursum deorsumque pro libito potest emitte, & actionum floribus alendis subministrare? Dicamus potiùs, Amori sancto minùs obesse paupertatem, quàm divitias, cum hæc amorem proprium ejus hostem suâ illecebrâ foveant, & corroborent, plurimumque Amori divino detrimenti adferant, quo factum ut non pauci illas à se prorsùs abdicarint, ut Amoris sancti exercitationibus locum darent.

O si liceret intueri, non tantùm sub Religiosæ paupertatis pallio, sed etiam sub mendicabulorum vilibus lacernis, & paleâ, in qua jacent, quanti amoris ignes flammis occultis ardeant, quàm divina sæpè incendia in tuguriolis illis deli-

tescant, Amorem sanctum ab rebus externarum inopiâ incrementum potiùs, quàm impedimentum accipere diceremus.

Ad quod charitatis culmen evectus erat famosus ille Thauleri mendicus; quem spirabat amorem ille in platea jacens, & cum morte potiùs, quàm egestate conflictans in vitis Patrum memoratus Dei servus, cujus animam nimis diu tardantem in corpore duo Genij de cælo delapsi ad egressum invitant? Quid sanctum Alexium commemorem, qui dum suorum mendicabuli specie fallit oculos, & mundo illudit, habeturque à famulis paternæ domus vilissimi mancipij loco, lampas tamen erat sub veteramenti abscondita & amoris divini flammis ita succensa, ut non urbem modò, sed orbem suis radiis illustrârit.

Sed fortassis audiendi erunt opifices, eorumque admittenda excusatio, dum se laborum assiduitate, & corporum fatigatione ab amoris divini exercitatione arceri aiunt, testemque experientiam appellant: sed falluntur & fallunt: non impedit amorem labor, sed amore juvatur, & fit levior. Sanctum Josephum amantissimum Jesu nutritium fabrum opificio, S. Paulum Pelletarium, germanos fratres Crispum & Crispinianum arte sutores, S. Alexandrum Carbonarium, Homobonum Sartorem

3.
Docet hoc
Thauleri
mendicus.

4.
Non opi-
fex.

5.
Probat ex-
emplum
S. Josephi.

rem & sexcentos alios in laboribus assiduos fuisse, sed in amore divino plus operæ studiique possuisse non dubito: tractabant manibus artis instrumenta, sed corde amoris divino vacabant. Bellarminus etsi dignitate Ecclesiasticâ inter Cardinales ornatus cum urbis Romæ vicis obiens opificesque à mane ad vesperam opificiis suis intentos contueretur; ac quantâ facilitate Deo famulari, amorisque divini sanctis affectionibus operam dare possent, invidere se illis aiebat tanti boni tam facilem possessionem. Non labori, sed cordis desidia aut aberrationibus, aut nimis ad rem externam animi contentionibus omnis amoris divini defectus tribuendus est.

Sed non videtur mihi silentio prætereundum, quod in hoc genere mirabile memorant Græca Menologia. Vir erat Constantinopoli Joannes nomine, qui facultatibus non parvis in pauperes erogatis pauperem ipse vitam delegerat, & frequens in precibus, ad vestibulum templi sanctæ Sophiæ & sæpè orando pernoctare consuevit. Id cum aliquando ageret, vidit à longè splendorem luminis fulgentem, virumque ductum luminis sequentem. Miratus subduxit se in angulum, ut rem tutius perspiceret. Videt hunc ductum lumine templo appropinquan-

tem, factâque ante valvas templi modicâ oratione, impresso portæ crucis signo eam aperientem; ac eodem modo primas & secundas ac tertias fores argenteas referantem: tum in medio sacrario genuflexo preces fundentem, hisque absolutis templo egredientem. Subsequitur Joannes, & post aliquot viarum anfractus, cum alter ad exiguam casam pervenisset, videt illum fores pulsantem, quibus ab uxore Mariâ nomine accensâ lucernâ apertis, omni que tum alio splendore disparente domum ille ingreditur: subsequitur Joannes & januam occupat ac in ædes se immittit, atque ad viri pedes se abjicit, & vitæ rationem ab illo prece & lachrymis extorquere conatur; negat ille, & se hominem pessimum ac idiotam declamat: victus tandem precantis importunitate, dixit, se cerdonem opificio, & Zachariam appellari, ignosceret peccatori, qui iudiciorum Dei metu percussus castitatem cum conjugè servaret, & cum ad tenuis vitæ sustentationem non amplius quam ad trimestre facultates in sumptum suppeterent; labore & soleis nummos pararet, & primò lucelli partem maximam in Christi pauperes divideret, vellet hac ille de rebus extortâ narratiunculâ esse contentus. Egit gratias Joannes, & abiit; sed humilis Cerdo, ut magis lateret, domum

muta-

6.
& iudiciū
Card. Bel-
larmi.

7.
& sancti-
tas civis
Constanti-
nop.

Raderus
in Meno-
logiis
Græcis.

mutavit, ut amori divino liberius & securius vacaret incognitus. Egit in hoc, quod solet divina Majestas, & pauperuli hominis sanctimoniam uni manifestam esse voluit, ut deinde illius notitia ad plures emanaret, multorum aliorum manifestatione in supremum judicij diem reservatâ.

8.
Non rudis
& hebes.

Jam verò quid de hominibus rudis & hebetis ingenij, qui velut terræ filij, nihil præter ea quæ terram concernunt, sapere videntur, in hac de amoris divini possessione controversiâ censebimus? an illos ut incapaces ad alia amandabimus? Opponet se continuò Joannes Gerson, vir in hujus Amoris palæstra exercitatissimus, qui in suo illo aureo tractatu de Monte Contemplationis rationibus, & experienciâ contrarium evincere conatur. Declamabit etiâ contrâ S. Egidius S. Francisci discipulus, qui cum audiisset ex S. Bonaventura rudem fœminam ad colum dies integros sedentem amoris divini æquè capacem esse, quàm ipse Bonaventura literarum præsidio instructissimus; lætitiâ circumfluens, & quasi extra se raptus Cœnobij muros ascendit, & idiotis aliisque accurrentibus hoc S. Bonaventuræ dictum velut ingens, & isti hominum generi perutile arcanum evulgavit. Sed & Beatus Simeon Salus in illis, quos paullo ante mortem Joanni scien-

tiæ divinæ dictavit articulis, unum hunc inseruit: Ne quemquam etiam vilissimæ conditionis haberet contemptui; reperiri enim inter mendicos, & cæcos, qui interioribus animi dotibus ac virtutibus ad instar Solis splendescerent, purgati afflictionibus, quas patienter tolerant. Quot, aiebat, ex illis vidi ego ad sacram Synaxim accedentes auro puriores tum propter agendi simplicitatem, morumque innocentiam, tum quia sudore vultus victum comparant. Dixit aliquando etiam S. Brigitæ Dei Mater hominem vetulum, qui integrum *Pater noster* memoriâ tenere non poterat, Filio suo gratiorem esse Concionatore, qui apud auditores suos magnam gratiam nomenque collegerat. Sed audiamus quid magnus ille Simeon Stylites ad ingentem hominum multitudinem notitiâ divinitus haustâ ex suâ columnâ pronuntiavit.

Ingens terræ motus, & infestæ ædificiorum inde frequentes ruinæ, mortisque plurimorum Antiochiam universam locaque circumjacentia metu compleverant. Vivebat tunc ad instar Angeli carne vestiti Simeon Stylites: ad illum, ut miseriarum lumen unicum, omnis conditionis homines tam ex Ecclesiasticis, quàm ex laicis conolant, & columnam coronâ cingunt, eumque ut Numen iratum

9.
Patet testimonio
B. Virg.

10.
& exemplo
pauperis pij.

iratum precibus suis placare dignetur, supplices rogant. Ille primò illos accusat ut calamitatis auctores, quam peccatis suis in caput suum accersierant; monet deinde unanimi conspiratione ad precandum se prosternant, aspersi que lacrymis simul inclament: Kyrie eleison. Ipsemet in preces se dat, & aliquo spatio temporis elapso, vox è cælo ad illum delabitur: de tot millibus hominum, unius dumtaxat rustici hominis & ipsius Simeonis precationem flexisse numinis iram, & exaudiri meruisse: jubet ergò quæri rusticum illum, cum que in conspectum adductum proprio nomine compellans, coram omnibus vitæ institutum & rationem aperiret, seridò mandat. Ille primò pudore coopertus se excusare, ignorantiam suam obtendere, sese peccatis inquinatissimum profiteri: sed à S. Stylita compulsus coactusque eloqui: dixit, se dies rotos terram colere, & inde collectum lucellum in tres partes dividere, unam pauperibus erogare, alteram solvendis vectigalibus impendere, tertiam in victu quotidiano consumere; nulli unquam malum se imprecatum, sed singulis tantum boni desiderasse, quantum sibi. Excepta sunt hæc magno populi clamore & plausu, omnibus illum propius intueri cupientibus, & alijs mediatorem suum

appellantibus, alijs cum lacrymis in ejus amplexum ruentibus, alijs denique illum tanquam cælesti calculo sanctis annumeratum veneratibus: solus ipse pudore perfusus expedire se ex illo gratulantium coetu & tenebras quærere, ubi in abscondito cum Deo ageret, & amoris cælestis sanctis affectionibus habenas laxaret impensius, & securius.

Cum matrimonio illegatis nobis nunc agendum est, è quibus unus ad cælestes nuptias in parabola invitatus, parum gratiosè respondit, se omnino venire non posse: & fortassis iudicium S. Pauli patrocinari non paucis videbitur, dum conjugatis cor divisum esse pronuntiat, ut integrum amori divino consecrari non possit: sed nunquam ego illis assentiar: non equidem inficior magnam conjugatorum partem non matrimonij culpâ, sed suâ ita in illius status delicias simul & sollicitudines sese effundere, ut sancto amoris negotio vel potiùs otio vacare non possint, sed cum Elzearium cum Delphinâ, Ulphonem cum Birgittâ, Henricum cum Cunegonde, Vincentium cum S. Waldetrude intueor, inter illas conjugij spinas enasci etiam rosas amoris pronuntio. Et verò cur illi id præstare non possent quod S. Paulus hortatur, ut conjugum conjugem ita diligat, ut Chri-

II.
Non conjugatus.

II.
Patet varijs exemplis.

B stus

stus Ecclesiam: cur ita sanctè & castè illius status jura servare, ut, sicut aliquando S. Birgitta cælesti revelatione didicit, in medio conjugum decumbentium Christus sibi locum inveniat? cur novi testamenti gratia eò matrimonio conjunctos provehere non possit, virtutis & sanctimonix, quam Zachariam & Elizabeth affecutos fuisse Evangelicæ paginæ testantur? Eos, qui in vitis Patrum perlegendis versati sunt, magnum illum Abbatem Paphnutium sæpius demiratos arbitror; qui cum in severissimâ illâ Anachoretarum disciplinâ annos complures sanctè contrivisset, optavit tandem cælo revelante cognoscere cui in hac virtutum palæstra Dei æstimatione par foret; missus est primò ad tibicinem, tum ad ruralis oppiduli Consulem, eumque conjugatum, ac tertio ad Alexandrinum mercatorem, selectos è tribus hominum generibus viros, qui divini amoris exercitio ita incubuerant, ut homini altissimis contemplationibus in illo solitudinis silentio dedito, & corporis castigationibus ad diètissimo comparari mererentur. Habet divina Majestas non unam in conjugij veptro gemmam absconditam; imò, si Augustino assecimur, multæ sunt nuptiæ, quæ in stadio virtutum Virgines cursu prævertent, illisque tum animi demissione,

tum ardore charitatis victoriæ palmam præcipient. *Dilige*, ait idem Sanctus, & *fac quidquid vis*. Ahbi causam reddit: *Multum facit, qui multum diligit*. Amor donum est voluntatis, quod illa semper habet in promptu, in conjugatis æquè ac solutis: & cur, quæso, divina bonitas, quæ duo corda matrimonij nexu conjunxit, sui etiam amoris vinculo innodare non posset, adeoque sui juris facere, ut in illo statu nihil velint nisi quod vult, & ut vult, eadem ad scopum divinæ gloriæ conspiratione, ac intentione?

Sed fortassis Amor ille sanctus à suo arcebit contubernio homines sceleratos, longaque peccandi consuetudine irretitos, à quibus repulsam non semel passus, & suas sibi res habere jussus, imò contumeliâ violatus, capitales inimicitias expertus est: qui enim fieri poterit, ut tam immemor sui & suæ cælestis originis oblitus, gratiam vilibus capitibus rependat pro injuriâ, & illos vel unico benignioris oculi dignetur aspectu? Hic fortassis nobis hæere aquam putabit aliquis: sed fallitur omnino. Amor enim semper est amor; & omnibus sui facit copiam; semelque admissus omnium vitiorum munitiones & oppositus disijcit atque procurbat. Quinimò ubi Amoris divini indolem atque potentiam, ubi divi-

13.
Non sceleratus.

nae misericordiae benevolentiam, ubi vim gratiae, Christi merita, & amantissimi Iesu ad cordis januam perseverantes pulsus propius conspicor, audacter pro nuntio, etiam in veterato peccatori facilem ad amoris caelestis possessionem aditum aperiri. Expertus id est Augustinus licet post longam luctum & propterea à nobis merito audiendus, dum peccatorem his verbis invitat: *In nomine Christi, & qui loquimur, vivimus, & quibus loquimur, vivitis: numquid consilij corrigendi, & mutanda vita mala non est locus? non est tempus? nonne si vis, hodie fit? nonne si vis, modò fit? quid empturus es ut facias? qua emplastra quariturus es? ad quos Indos navigaturus? Ecce cum loquor, mutacor, & factum est, quod tam sapè, & tam diu clamatur ut fiat, & quod aeternam poenam parturit, si non fiat. Illustrari possent pluribus historijs, sed unâ, aut alterâ contenti erimus.*

Gregorius Lombadelli in vitâ B. Francisci Senensis, cujus dies festus Senis agitur Dominica 2. Maij, mirabile Amoris divini stratagemata commemorat. Erat Franciscus inter sceleratos & impios sui temporis milites facile princeps: qui cum aleæ lusu infausto amisisset omnia, in rabiem actus collusori dixit: Etiam irato numine qui mihi hâc oculos dedit, lusu ego illos expono, tu mihi illos c-

ruas, si hoc aleæ jactu superior evadas. Vix impias voces finierat, cum divina ultio hominem opprimit, ac utriusque oculi lumine privavit. Hoc ille velut fulmine tactus, attonitus aliorum manibus abducitur, & caelesti luce collustratus alia inquit consilia: alia stipendia sub Amoris divini signis facere destinat, in seipsum sævit acerrimè, donec recuperatâ oculorum luce, D. Virginis apparitionibus, Angelique tutelaris frequenti monitione ad meliora excitatus, illorum hortatu Carmelitarum habitum induit, quem die præstituto spectantibus cunctis qui aderant, Angelus de cælo attulit, eumque ut illo vestirent, imperavit: octogenarius & multarum palmarum vir, in Sancti amoris castris diem obiit, concentu musico animam ejus ad caelestia præmia evolan-tem comitante, anno salutis 1291. Quis non has divini Amoris Metamorphoses demiretur? Sed ecce aliam.

Hispanus in Regno Mexicano ab altero laceffitus injuriâ, tanto in illum odio exarsit, ut juraret se barbæ & capitis pilos non rasurum, neque rasurum unguis, neque expiaturum Exomologesi animum prius, adversarium quam è medio tolleret. Audit ergo illum visum in civitate, à loco in quo erat viginti leucas distante; iterum diris se devovet, si cibum prius

E a sumat

14.
Patet in
Augustino
in Psalm. 63.

15.
Francisco
Senensi.

16.
Et Hispano
injuriâ
donante.

sumat quàm hosti vitam eripiat, & è vestigio equum conscendit, iter ieiunus emetitur, & intelligens adversarium in foro esse, eò se confert sclopeto ad necem inferendam expedito instructus, & dum illum, oculos circumferens, investigat, nec reperit; casu fortuito Patrem Societatis in foro ad turbam confertam catechismum habentem videt, & ratus hostem fortè in illa multitudine esse, accedit: & Patrem tum de Dei in peccantes misericordiã differentem audit; compungitur, suam in odio proximi pertinaciam inculcat, divinam in se clementiam demiratur, plorat, & concione absolutã Patrem insecutus, ad pedes ejus provoluitur, & lacrymis perfusus confessione culpas eluit, iterumque vovet se cibum non gustaturum etsi jam tri-duo non sumpsisset, nisi cum inimico redisset in gratiam, votum illud frustra dissuadente Sacerdote: tandem hostem ob nescio quod debitũ in carcerem coniectum reperit, ad pedes ejus prostratus diuturni odij veniam petit, ac denique (quod perfectæ charitatis est) equum & arma divendit, & ducentarum librarum argenti pretio inde conflato, ære alieno, & carcere hominem liberat, hoc solum efflagitans, ut deinceps amici & fratris loco se habere velit.

26.

Non sum nescius hujusmodi

animorum commotiones, & igneos Amoris effectus usitatos non esse, & abundantiori divinæ gratiæ merito tribuendos: persisto tamen in mea sententia, non esse corroboratæ in malo consuetudinis tam insolitos firmosque rudentes, qui sancti Amoris potentissimã flammã Deo adjuvante non absumantur: compleri que illud Apostoli dictum, *ut ubi superabundavit iniquitas, superabundet & gratia*; Deumque ad referendas misericordiæ fores, & virtutibus omnibus Charitatis velut asseculis aditum hominis cor aperiendum, paratorem propensoremque esse, quàm homo ipse promptus sit ad desiderandum, & petendum.

CAPUT VII.

Deus amari vult super omnia, & ad id obligat unumquemque rationis capacem sub gravi peccato.

CERTUM est, neminem salutem Cæternam consequi posse, nisi mandata servet: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; ait Dei Filius: inter illa verò unum esse in duobus sacre Scripturæ locis expressum omnes legimus Deuteronomij & Matthæi, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota ani-*

1.
Præceptum
de Charitate.

anima tua, ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis. In quibus verbis si ad vocem, *Tota*, sæpius repetitam attendamus, quasi prohibeat vel minimam amoris nostri particulam in rem aliquam creatam extra Deum, diverti, tantum præcepti rigorem humanas vires excedere alicui videri possit; sed si verbum illud, ad majus pondus mandato conciliandum, congeminati censeamus, meritò cum majori Doctorum numero piè nuntiabimus, hoc solum jubere Deum, ne quidquam aut plus quàm ipsum, aut æquè ac ipsum, aut contra ejus voluntatem amemus, id què sub pœna perdendæ gratiæ, amicitia dissoluendæ.

2.
Intelligendum de appetitativis.

Postulat ergo Deus à nobis verbis istis amorem appetitativum, ut vocant, sive præferentiæ, qui quatuor modis exerceri potest. 1. Comparativè; ponendo ante oculos sigillatim omnia, quæ nostrum amorem conciliare sibi & innodare possunt; ut sunt, amici, parentes & propinqui, vita, bona fortunæ, pulchritudo, honores, voluptates; considerando præter eà mala omnia, quæ terrorem possunt incurere; ut sunt, facultatum, amicorumve jactura, infamia, tormenta atrocissima, mors crudelitate horribilis, & ipsa pœnarum in Inferos acerbitas: quibus maturè & diligenter expensis statuit homo firmiter, omnium

Cujus primus modus per comparationem.

bonorum jacturam, & malorum acerbissima pati potius, quàm Dei amicitia excidere: qui modus amoris nostri erga Deum perentandi etsi bonus est, non tamen suadendus omnibus; ad homines magnæ & corroboratæ virtutis spectant ista. Id meritò, fructuque singulari magni illi Heroës Anselmus, Edmundusque faciebant, dum dicerent; si ex una parte proponeretur apertus Inferni hiatus, ex alterâ Dei Opt. Max. offensa, potius se præcipites in illa immania supplicia ruituros, quàm gravem illam Deo per peccatum inferrent injuriam. Id actitabat fortissima scæmina B. Alix Lotharinga, quæ inter crebertima, & multorum annorum diaboli tentamenta, & ad peccandum illecebras, solebat dicere: *Damna me potius, mi Deus, quàm ut huic maligno incentori consentiam.* Id generis hominibus permittenda est hujusmodi præliandi ratio; at alijs in virtute parum exercitatis nullo modo consecranda. Novit Deus singulorum vires, & non æqualia ab omnibus exposcit. Non solet cum pluribus eandem probandæ amicitia rationem inire, quam tenuit cum Abraham, cui filii immolationem imperavit, & modo quidem admirabili, & ad fortissimum animum de constantia deturbandum composito. 1. Præcipit, sit ipse & non alius qui fi-

E 3

lium

3.
Quæpro-

bata in
imperato
Abrahæ
sacrificio.

lium accipiat, in sciã matre, & quasi è sinu ejus avulsùm: *unigenitum* vocat, ut inde consideret, quantum detrimenti familia ex unigeniti morte capiat, quã totius posteritatis spes labefactari videbatur: addit, *quem diligis*, ut amorem paternum exsuscitet, videatque, quantum doloris rei tam amate amissio secum trahat: proprio nomine appellat *Isaac*, ita nuncupatum, quod esset futurus læticia & risus Patris. Montem aliquem assignat, sed non nominat, id ait facturum se postea: à loco ubi erat, distantem, eligit, ut toto itinere in tam severi mandati consideratione defixus haberet doloris simul & virtutis exercendæ materiam; duos Amores Divinum & Humanum velut singulari prælio inter se committit, in quo penes primum stetit *Victoria*: hoc enim Abraham incitatus tanto ardore demandatam filij exequebatur necem, ut repetitã nominis sui *Abraham Abraham* appellatione sistendus ictus fuerit: *ne*, ut ait Ambrosius, *una vox impetum ferientis revocare non possit*. Non ita agit cum homine infirmæ virtutis Divina Bonitas, mandatum ejus viribus attemperat, quod exemplis pluribus potest; sed supervacaneum esse judico ob eorum frequentiam & experientiam. Producamus potiùs nonnullos prætereà virorum eminentis sanctita-

tis actus Heroicos, qui in interiorum theatro productis in scenam malis plurimis, & velut cum Amore sancto commissis, victoriaque ab hoc obrenta hujusmodi velitationibus miros in charitate progressus fecere.

P. Joannes Hieronymus Sacerdos è Societate nostrã, vir ob virtutum ornamenta & conciones per Hispaniam cèlebris & apud Philippum secundum gratiosus, vespere plures horas orationi dare solitus fuit, in quã sapiùs Amorem sanctum ad luctam cum amore proprio provocabat, ibi instructã velut acie prodibant omnia mala huic infesta, & unum post aliud quàm horrificã poterant specie ad incutiendum metum se menti Meditantis repræsentabant, hærebantque velut in conspectu, donec paratum se ad illa perpetienda Deo offerret. Id quod cum die quodam ageret, & famem, sitim, morbos, carceres, & mortem ipsam, velut præsentia pro amore Dei subeunda volens lubensque acceptasset: subit postremò, velut inter ultimæ aciei triarios hæc cogitatio: Quid si te jam Inquisitio sacra accerferet, & de propositione hæretica in pulpitis prolata accusatum examinaret, & damnaret? Hic hæsit, & ad Deum conversus ait: *Non hoc Domine*: cumque nihilominus videretur sibi minus liberaliter cum Deo

4.
Singularis
in P. Ioan.
Hieronymo.

5.
Nihil ex-
cipiens.

Deo agere, in hoc puncto; post aliquā cogitationū pugnam, cum Amori divino ulterius resistere non posset, tandem Deo setotum commisit, dicens: *Et hoc Domine.* Vix hæc verba protulerat, cum Apparitor fores pulsaret, ad Inquisitores vocat, à quibus jubetur abstinere à pulpito, donec de propositione hæreticā, quam dicebatur inter concionandum protulisse, planè se purgaret. Etiam accusatus est apud Romanum Pontificem de verbis contra supremæ Sedis auctoritatem temerè prolatis, Romanique accersitus, ut doctorum rationem redderet: in utroque Tribunali post longum examen innocens declaratus, & concionibus tum Romæ coram Pontifice, tum in Hispania deinceps cum majore quàm antea audientium applausu habitis clarior evasit, sed etiam Deo charior ob amoris divini per hanc rerum contrariarum varietatem, & in ijs tolerandis constantiam maxima incrementa.

6. Erunt fortassis qui hujus viri in meditationibus imitationem sibi proponant, sed sciant velim, aliud esse, prælium aliquod picturâ effingere, aliud in illo versari, quod excellenter ostendit Pater Jaspas Barzæus Belga in Indijs post S. Xaverium rerum benè gestarum magnitudine celeberrimus; qui homini Societatem am-

bienti, & ad acerbissima quæque toleranda paratum se offerenti in hæc verba respondit: *Dicis insuper in tuâ Epistolâ, quod me sequi cupias, ac mori mecum, si res ita ferat, in craticulâ affatus: iste fervor in genere desiderij magnus est, sed in opere quid futurum esset, ignoro: multum dissepit crux Christi in imaginatione depicta aut intellectu, ab ea quæ viva est martyrij tempore: pomaria & arbores suis onusta floribus, aut fructibus æstivo tempore multum placent, sed procellosa hiemis tempestas plus laboris adfert, cum sunt vel pastinanda, vel putanda: ita sunt res divine, quas quamdiu mundus admiratur, facile est amplecti, sed alieno tempore Christi crux admodum solet esse onerosa. Divorum tormenta, quæ nos æstimamus, sæpè accident; sed eadem ipsa coram tyrannis, sub quibus illi ea pertulerunt, essent sanè acerba. Eo quippe tempore urgent fames, sitis, contumelia, ignominia; nuditas, ludibria, inopia, verbera, & mors ipsa. Hactenus vir ille Apostolicus: qui suo discursu excellenter nos docet, posse mala, quæ amoris divini exercendi materiam præbent, duobus modis meditationi nostræ repræsentari. 1. Consolationibus cælestibus permista, excepta hominum applausu, ac laureis æternis coronanda. 2. Obijci possunt animo omnibus istis solatijs & velut levamentis destituta, specie horridâ, ac naturâ formidabili, ijs omnibus ad-*

7.
Clemētis
Ancyrae.

junctis, quæ hominum mentibus horrorem solent incutere: atque hic posterior modus viris in virtute provectis, & animo ingenti præditis familiaris est; & in Amoris divini palæstrâ, ad augendos illius igniculos inter meditandum frequentius in usu. Jungunt se Clementi⁹, Episcopo Ancyrano in Galatia, eumque cum tyranno dicendi libertate & agendi constantiâ decertantem intuentur, & se vel illi socium, vel ejus loco constituunt. Proposuerat Diocletianus id impetrare ab hoc generoso athletâ, quod alij ante se frustra tentarant: itaque jussit primò produci in medium quæcumque ad emolliendos, & illiciendos animos mundus offerre solet & promittere; ut sunt magna auri argentiq̄ue congeries, litteræ patentes, quibus primi honores, & amplissimi per imperium Magistratus conferebantur, vestes sumptuosæ, & pixides gemmis pretiosis refertæ: ex altera verò parte exponi præcepit varia tormentorum instrumenta, ungulas ferreas, uncos, lectos, metalla, sartagine, carbonum congeriem, lebetes, cassides, craticulas, rotas, catenas, aliæque plurima torquendis martyribus excogitata fermenta, quæ spectantium animos solo aspectu horrore complebant. Hic Tyrannus ad Episcopum conversus vultu severo & blandienti,

8.
Qui frustra tentatus ad defectio-
nem,

digitoque in res illecebris plenas intento:

En, inquit, bona, quibus te Dii beabunt, si illos colere animum induxeris. Deinde disposita ad carnificinam instrumenta ostentans: Vides, ait vultu minaci, hunc tormentorum apparatus? his excruciaris, si mandatis meis morem gerere recuses. Sed animo imperterrito, vultuque exporrecto Episcopus contempsit omnia, & quàm bona illa Deo comparata nauci essent, & cruciatus, cum inferorum tormentis compositi, quàm nulli, & meræ maiorum imagines, ac terribilissima puerilia, paucis ostendit.

Quòd si tibi ad aciuendum amorem divinum, & præcepti de amando Deo super omnia implendi gratiâ, hunc primum meditandi modum inire in animum inducas; cave ne novo calore abreptus, ac generosi animi fretus audaciâ, tibi innixus altiùs, quàm par sit, te pennis præsumptionis efferas, tuoque lapsu novum nobis Petrum exhibeas, & alios de se præsumentes ruinâ tuâ erudias: diffide tibi infirmitatis tuæ conscius, & Dei præceptum amoris super omnia ingeminantis, bonitate potentiaque fultus, ac eius nisus auxilio, victoriam illo tecum pugnante te reportaturum spera; sed ad cæteros præcepti illius implendi modos accedamus.

dum

9.
Propositis
bonis.

10.
Et suppli-
ciji.

10. Secundus. Confusè.

2. Modū minus operosū accipe; Bonorū malorumque, quæ te ab amore Dei super omnia impedire possunt, multitudinem tibi in genere dumtaxat ante oculos pone, & non leviter aut præcipitanter, sed captato quasi cum animo tuo consilio, tandem pronuntia; te potiùs bonorum omnium jacturam facturum, & tormenta quælibet subiturum, quàm amicitia divina injuriam inferas, eamque graviter lædas.

11. Per abstractionem.

3. Modus magis obvius, & brevior hic est: si neque in particulari, neque in genere comparationem ullam instituas, sed tantum apud te firmiter statuas Deo placere, & nulla de causa ab ejus amicitia descēdere. 4. Denique si neque hanc apud te deliberationem de amando Deo facias, sed ita illum ames, ut si ista tibi in mentem veniret, sermō apud te statueres nunquam vel amore vel metu divina Majestatis obedientiam negare, & auctoritatem infringere.

12. Etiam sine actu positivo.

Atque his quatuor modis præcepto divino de amando Deo super omnia facies satis: Deum etiam propter se amabis: si enim propter aliud eum diligeres, tum illud aliud Deo anteferes, plurisque faceres, quia finis esset amoris tui ad quem cætera & Deum ipsum ejusque amorem referres: unde sequi meo judicio necesse est

amorem Dei super omnia, amoremque Dei propter ipsum irriter se connexa, ut unum ab altero divelli, separarique non possit.

Deducamus & hinc alia consequentia & consentanea superioribus: demusque primò aliquem ita animo dispositum, ut si Deum amanti merces æterna non esset præstituta, Deum non amaret, ille proculdubio lethali culpâ se obstringeret; neque enim amaret Deum super omnia, sed mercedem & lucrum suum Deo anteponeret: eodem culpæ lethalis nexu involveretur ille, qui re bene libratâ, ac ad rationis trutinam perpensâ, æternum hic velle vivere; quia sic Dei fruitioni huius vitæ amorem præferret: hinc nollem patrocinari hac in parte viri nobilis præposteræ cupiditati, qui hortum suum cum altero obambulans, & ex pulcherrimo ejus aspectu maximâ voluptate perfusus, dixit: Si daretur oprio, se libenter sortem suam cum araneæ (quæ telam suam eo loco affixerat, unde patebat in hortum undequaque prospectus) commutaturum, Deoque alterius vitæ beatitudinem relicturnum, dum perpetuò in terris horti sui pulcherrimâ contemplatione frueretur: obstrinxit se ille hoc desiderio culpâ lethali, quam continuò divina vindicta miserabiliter excepit; nam fallente pede de gradibus col-

13. Collectanea de amore graviter imperfecto.

14. Votum pia.

lapsus vitam, & unà cum illa illecebrosus horti sui conspectum amisit.

15.
Aliud.

Excusabimur ne ob simplicitatem, & ignorantiam, vorum rusticarum hominis indeliberatè conceptum, & minori prudentià pronuntiatum? Erat ille jam decrepitus, & lectulo affixus supremo morbo laborabat; cum visitatus à Parocho, & ab illo excitatus ad æternorum spem proximam, laborumque, in quibus vitā attriuerat, finem: petijt ab illo an nulla spes esset incundi cum Deo contractum aliquem, ut perennaret perpetuum in istis laboribus, Deoque Paradisum remitteret: tam in illo fides obtorpuerat, spes languebat, charitas refrixerat. Optaret S. Augustinus aliquando perentarem animos nostros, & nobiscum ita ratiocinaremur: Si Angelo in terras delegato Deus hominibus denuntiaret, ut qui vellent æternitatem in terris vivere, in unam partem secederent; qui verò pro cælo decertare, & ad illud aspirare cuperent, in aliam abirent, cui parti nos adjungeremus: si priori; jam è filiorum Dei numero & dignitate dejecti sumus, jam divini de amore præcepti prævaricatores culpā nos foedissimā obstrinximus. Deo nihil præponendum, omnia ejus amori possessionique postponenda: quæ ita intelligas velim, ut il-

lum peccati non damnes, qui Deum vel ob accepta ab illo beneficia, vel spe mercedis æternæ, vel suppliciorum metu diligit: habent illa suam honestatem: sed hoc amandi modo, præcepto amoris Dei super omnia non fit satis.

Sed nunc agamus de tempore, quo ad hoc amoris debitum persolvendum astringimur. Variæ sunt in hoc puncto Doctorum sententiæ; quas veriores sentio, producam.

Quicumque annos infantiles prætergressus ad eam pervenit judicij maturitatem, ut Deum finem suum ultimum esse, & amore super omnia dignum possit agnoscere, atque de hoc à Deo præceptum latum esse intelligat, & innatam inde sibi exercendi amoris obligationem clarè percipiat: tenetur meliori modo quo potest Deum amare super omnia: quòd si volens & prudens id omittat, lethalem offensam incurrit. Ita Doctorum plurimi sentiunt: cui etiam culpæ obnoxios nos censent, si certis casibus, quibus ad contritionis actum exercendum obligamur, & dum in tentatione odij contra Deum periclitari nos sentimus, si inquam tum amoris Dei super omnia subsidium non accersimus, officio nostro nos desesse arbitrantur, gravique culpā foedari. Nec deest unus aliquis è viris

t6.
Quando
obliget.

viris istis in Theologia palmari-
bus, qui pronuntiet, eum; qui toto
quinquennio, miserè amori pro-
prio & rebus caducis immeritus
ex torpore & oscitantia ne unum
quidem amoris super omnia ac-
tum exerceat plusquam venialem
culpam admittere: quod ego in-
ficiari nolim ob nimiam in tam
rationabilis & amabilis præcepti
executione socordiam.

17.
Adhor-
tatio ad
charita-
tem.

Sed omnium in uno articulo
conspirantem sententiam audia-
mus & sequamur; is est articulus
mortis, in quo in illo amoris actu
super omnia producenda vires
omnes animi conferendas sen-
tiant: si enim aliquo tempore
Deus Opt. Max. pro omnium af-
fectionum scopo nobis est eligen-
dus, rebusque omnibus eius gra-
tia & amicitia præferenda, illud
profectò esse oportet, in quo ani-
mus à rebus omnibus creatis se-
parandus est, Deoque, à quo, ut
esset accepit, restituendus. Et
quamvis meritò aliquis timere
possit ne plurimi tum temporis
officio suo hac in parte desint, &
fatiscente jam corpore, animoque
ob multarum rerum imagines
consternato agrè videatur homo
tam arctæ obligationis & amando
Deo super omnia recordari: ego
tamen contra sentio, arbitrorque
hominem in illis quæ salutem æ-
ternam concernunt, tum sibi ma-
ximè præsentem esse, & Deo ube-

riori gratiâ suppetias afferente de-
bitum hunc amoris quatum oportet
persolvere: de quo Sanctam
Gettrudem certiore aliquando
fecit, Christus: cum enim pro
concione de amoris sancti obli-
gationibus differentem audisset
inter alia dicere, neminem aliquo
crimine graviori contaminatum,
& lecto defixum in illo ultimo vi-
tæ finientis articulo salutem con-
sequi posse, nisi peccatorum ex
amoris Dei super omnia impulsu
illum pœniteret, & eadem indu-
ctione ab illis abstinere propone-
ret, reputant illa apud se videri
multos ex hac vitâ decedere, quos
pœnarum timor ad pœnitentiam
potius, quàm amor impelleret: sed
hanc illi nubem continuò discus-
sit Deus, dicens: Ego se in illo su-
premo certamine, ijs qui sui ali-
quando piè, sancteque meminif-
sent, & opera nonnulla vitam
æternam promerentia fecissent,
se propiùs adesse & eorum animis
tam amabilem benignumque sese
exhibere, ut intimo cordis affe-
ctu, amoreque divino interiora
penetrante malè admissorum pœ-
nitentiâ ducantur, veniamque ac
salutem consequantur: quam meâ
in eo articulo gratificandi propen-
sionem velim ab electis meis ag-
nosci, depredicarique, ac dum de
beneficijs à me collatis universim
gratias agunt istius etiam benefi-
cij gratanter recordari.

18.
Amoris
merces
præsidia
ad bonam
mortem.

C A P. VIII.

Facilius esse, quàm communis fert opinio, implere præceptum amandi super omnia.

1.
Amor
Dei facilis
quibus.

Non hic ago de illo hominum genere, qui profanis amoribus irretiti & flagitiis cooperti longâ peccandi consuetudine omnem rerum divinarum sensum gustumque amiserint: neque enim inficiari possum, illos maximam in exercendo amore Dei super omnia difficultatem experiri: sed de illis loquor, qui meliorum rerum amore detinentur, virtuti student, & procurandæ salutis aliquam dant operam, qui etsi interdum gravi aliquâ culpâ se inquinant, continuo tamen resurgunt, & animo excolendo, Dei que præceptis executioni mandandis curam impendunt; illis dico amorem Dei super omnia auxiliante gratiâ, communi hominum opinione faciliorem esse.

2.
Ex parte
objecti.

Ac primò quidem ex parte objecti, in quod amore ferri oportet, nulla videtur esse difficultas: est enim Deus summè amabilis, & iis quæ amorem nostrum concitant, & conciliant, ut sunt pulchritudo, bonitas, cæteraque perfectiones, eumulatissimè instructus; atque ut facilè homini est

plumbo aurum, & pulchrum deformi an eponere; ita rebus omnibus creatis Deum præferre nullo modo difficile videri potest si auro proposito, inquit Chrysostomus, & lapidibus pretiosis dicerem: *Concupisce plumbum. dices: Quomodo possum?* Nam ut infantes videmus, qui manus habent pomis aut bellariis refertas, si aliquid amabilius, & quod magis delectet, offeratur, prioribus abjectis, ad hæc continuo manus extendere; ita hic fieri necesse est: quis enim nisi atheus, audeat in dubiû vocare Dei ejus super omnes res creatas excellentiam? quis tã vecors & hebes est, ut eum pluribus ad provocandum amorem illecebris, quàm cætera omnia abundare non judicet, hocque judicio voluntatem ad illum amandum, rebusque omnibus præferendum inducat? atque hoc est amor præferentiæ de cujus facilitate disputamus.

Amorem in voluntatis esse potestate nullus est qui inficietur, & meliora minus bonis ab illâ anteponi, nisi aliqua circumstantiæ obstant, aut offusa menti caligo impediatur, nemo est qui ambigat. *Etas corporis non est in voluntate, ait S. Augustinus, nullus secundum carnem crescit, quando vult; sicut nullus quando vult nascitur: ubi nativitas in voluntate est, & incrementum in voluntate est. Nemo ex aqua & Spiritu sancto nascitur nisi volens: ergo si vult crescit,*

In cap. 3.
Act. Apost.
hom. 7.

3.
Ex parte
voluntatis.

In cap. 2.
Epist. S.
Joan.

crefcit, fi non vult, decrefcit. Quid eft decrefcere? non proficere. Qui profectus cum ab amoris incremento dependeat, & in voluntatis (ut videtur sentire fanctus Doctor) iuvante ad id Spiritu fancto fit conftitutus poteltate, facile inde conficitur, affectionem erga Deum fuper omnia, non ita, ut communis fert vulgi opinio, hominibus elfe difficilem.

4. S. Gregorius Nyflenus in brevi illo, quem ad Harmonium de Profeflione Christiana fcripfit tractatu, ubi ad imitationem Chrifti hortatus eft, ut impedimentum à difficultate petitem difcutiat, adjungit: nihil in illa laboriofum reperiri: quia affectionibus mentis labor conjunctus non eft, fed licet quocumque velimus per illas ἀπεργυαλιεῦσθαι, hoc eft nullo negotio accedere.

5. Seneca de virtutum moralium confecutione cum amico fuo difputans, *Quid tibi opus eft, ut fis bonus?* inquit: & uno verbo quaefitioni primo afpectu ardua & intricata refpondet: *Velle.* Quod refponfum dedit etiam S. Thomas in rebus animi pertractandis, & illuftrandis perfpicaciffimus, dum forori qua breviori via ad perfectionem niteretur interroganti, dixit: *Velle.* Unde merito cum S. Auguftino concludere poffum:

De lib. arb. c. 18. *Vides igitur in noftra voluntate elfe pofitum, ut hoc fruamur tanto, &*

tam vero bono: quid enim tam in voluntate, quam ipfa voluntas eft? Neque eft quoddam hanc difficultatem in Deum aliquis rejiciat, cum ipfe hunc amorem fuper omnia impetret, gratia praeveniatur, & ejus impetratione delectetur. Ignem veni, inquit Unigenitus, mittere in terram, & quid voto nifi ut accendatur? Quid fi etiam ex parte noftra accedat deprecatio? ea verò quid facilius, quid expeditius? praefertim fi brevis oratio etiam hac in parte non parum momenti & virium ad impetrandum fit habitura. Dixit aliquando S. Birgittæ Mater Dei amantiſſima, cum, qui unum dumtaxat Pater pro charitate obtinendam pronuntiaret, effectu fructuque non elfe fruſtrandum.

6. Maximè ſi petas amore.

Lib. 3. c. 11.

Sed magis hanc amoris exercendi facilitatem declarat, Dei ipſius in eo offerendo, donandoque facilitas: quid enim facilius, quam rem ſummi pretij, qua tibi gratis offertur, accipere? in ſanum illum cenſeas qui domum & finum excipiendo bono, in quo ejus felicitas ſita ſit, promptè non aperiat. Hic iterum, ut ſæpè, audiendus eſt S. Auguſtinus. ita ille ſuos alloquitur: *Quare quando laudatur charitas, erigimini, acclamatis, laudatis? exhortor vos, quantum datur ad magnum theſaurum: ſi vobis offenderetur aliquod vaſculum anaglyphum, inauratum, operoſè factum, & illiceret oculos veſtros, & duceret in*

Tract. 7. in Epifl. S. Ioan.

se intentionem cordis vestri, & place-
ret vobis manus artificis, & pondus
argenti, & splendor metalli: nōne
unusquisque vestrum diceret: O si ha-
berem vasculum istud! Laudatur vobis
charitas, si placet, habete, possidete:
non opus est ut furtum alicui faciatis,
non opus est emere cogitatis, gratis
constat: tenete eam, amplectimini
eam, dulcius illā nihil est: si cūm com-
memoratur talis est, cūm habetur,
qualis est?

7.
Etiam in
ariditate.

Dissentiet fortassis hīc unus a-
liquis, & me ad experientiam suam
provocabit, dicetque se temporibus
quibusdam, cūm mens est in
nubilo, & arida exsucca, & frigida
voluntas, actum amoris Dei super
omnia valde difficilem & laborio-
sum experiri; sed fallitur, & fallit
ille quisquis est. Etsi enim pumice
aridior videatur voluntas, etsi
quantolibet conatu hunc amoris
actum homo iudicet à corde suo
impetrare se non posse, sentio nihilominus in ista cordis siccitate
atque duritie, ignitis carbonibus
frigido sub cinere delitescentibus
ab amore super omnia sæpè a-
ctum elici robustissimum, quem
homo ipse, qui producit, difficul-
ter, quia nullo sensibili indicio a-
ctus ille se prodit, potest agnosce-
re. Atque ut hæc clariùs eluce-
scunt, tria mihi observatu digna
videntur.

8.
Affectio-
Superiorem animi portionem per-

tinere, ibi produci, ibi sedem fi-
gere, nulloque sensibili motu per-
cipi: alias verò, quas Philosophi
Passiones, Orator Perturbationes
appellat, quæ sensuum & imagi-
nationis ductum sequuntur & in
appetitu inferiori locum habent,
secumque cordis commotionem
trahunt, facillè cognosci: ita læti-
tia cor dilatat, tristitia constringit,
ira inflammat, metus palpitatione
exagitat, aliæque suis quæque mo-
tibus concutiunt ac seipsas pro-
dunt.

9.
Interdum
conspira-
bant.
Secundò conspirare interdum
utriusque partis affectus; ut cūm
intellectus Dei perfectiones, & a-
mabilitatem proponit voluntati,
& imaginatio eandem bonitatem
crassioribus lineamentis appetitui
inferiori repræsentat: tum in
idem objectum propensione &
concordiâ singulari utriusque par-
tis facultates feruntur, & amor fit
sensibilis, atque cogitatione supra
cordis affectionem commotio-
nemque se reflectente homo se
amare dignoscit.

10.
Maximè
in personis
spirituali-
bus.
Tertiò rariùs id accidere, & fe-
rè tantum in iis, qui diutinâ virtu-
tum exercitatione perturbationes
inferioris partis domitas habent,
easque partis rationalis imperio
ducunt, ut lubet, mirâ conspira-
tione atque consensu. Ubi verò
oppositum contingit, ubi appeti-
tus inferior frænnum non patitur,
& detrectat imperium, inò contra
rebellis

11.
In aliis
contra.

rebellis insurgit, ac voluntate superiori amoris exercitio toto nisu incumbente, abit ipse in omnia alia, & longè diversæ affectioni se velut captivum tradit, tunc quis amorum animo nostro dominetur, ægrè dignoscimus. Pars Superior actum suum habet semper in sua potestate; semper enim voluntas vult, cum vult; at non eadem facilitate dominatum in alios affectus exercet: cum volo de peccatis dolorem perferentiscere, duriorem me petra experior, cum de divinis beneficiis efferri vel dilari gaudeo, tristitiæ fluctibus obruor, & hoc quidem, si sensum inferioris partis in consilium voco. Non idè tamen voluntas superior vero, sancto que dolore, aut lætitiâ Deo acceptum non afficitur; imò verò, defæcatum purumque dolorem in principali animi portione concipit maximam, & ibidem lætitiâ depuratâ perfunditur.

12.
In quo
consistat
Amor
Dei.

Idem esto de affectione amoris Dei super omnia iudicium, qui cum in præferentiâ, hoc est in actu liberi arbitrij sensibus imperceptibili consistat, sæpè, quò magis abest à cordis commotione, eò major, eò fortior Deoque acceptior solet existere: quod paucis exemplis elucidabitur.

13.
Amoris
duplex,
appretia.

In primis, quàm multos maritos videmus pro amissâ conjugè dolore confici, qui ne unam la-

chrymam pro deplorandâ in Deum offensâ possint effundere. Si tamen eos interrogas, quid potiùs eligant, an conjugè orbari, an Dei privari amicitia, primum potiùs admittere se dicent, quàm secundum. Videbis alium in negotiis amici tractandis diligentiorè operam ponere, quàm in iis, quæ Dei honorem cultumque concernunt; si tamen casus inciderit, in quo aut deserendus amicus, aut amicitia Dei violanda, Deum amico anteponet. Pater primogenitum, à quo familiæ honos & posteritatis spes dependet, amat quidem; sed erga minimum è filiis tanquam Benjaminum suum tenerioris amoris argumenta deponit; ubi tamen de alterutrius morte agitur, hunc sibi eripi mavult, quàm alterum.

tionis &
sensibilis
exempla.

14.
Patris in
filios.

15.
Matris in
filium &
catellum.

Videbis Matronam aliquam immorigero filio ob ejus perditos mores infensam domo illum exturbasse, nec indaci posse, ut ignoscatur; imò ne nomen quidem filij audire velle: è contra catellum suum habere in deliciis, sinu fovere, lautè alere, & ab omni domesticorum injuriâ, quantum potest, defendere: si tamen famas illam in eas redigeret angustias, ut pane unico, qui illi superest, vel filius sustentandus esset, vel dilectum animal alendum, vitâque alterutrius cibo illo esset redimenda: eo casu dubio procul filium catello.

ANNE
UM
COG
II
TOR
III
VI

catello præponeret, & hujus amorem tenerrimum materno erga sobolem affectui utpote robustiori posthaberet.

16.
Adolescentis in
sodalem.

Adolescens aliquis, alicujus consodalis consuetudine ita captus est, ut ab ejus aspectu dies noctesque vix avelli possit, eius desiderijs obsecundet; & voluntari potius morem gerat, quam paternis mandatis obsequatur; faciamus tamen Patrem simul & sodalem gravissimo morbo laborare, & in mortis periculo utrumque versari, unicum pharmacum esse ad manum, quo alteruter persanari possit, parenti concedet illud potius, quam sodali; amat utrumque, & huius mortem fert acerbissimè, doletque summo opere ereptam sibi omnem sodalis juvandi facultatem; prævalet tamen in ejus pectore amor paternus, & in tam difficili certamine victor evadit. Ex quibus hæc veritas confirmatur, nempe duas in nobis sæpius esse affectiones, robustam unam, sed occultam, & velut igne sub cineribus absconditum; alteram teneram, floridam, & varijs benevolentie signis contestatam: prior ad implendum mandatum sufficit, ubi illius adimplendi se necessitas offerret: sed redeamus ad principale quaesitum de facilitate Amoris. S. Augustinus, cum amicum suum Armentarium ad amorem Dei super omnia vellet iaducere,

Ep. 4.
17.
Quantò
Deus amabilior
ercaturis.

& omnibus argumentis occurrere, quo id impedire possent de duobus amoribus oppositis, qui contra amorem Dei aciem videntur instruere, amore scilicet mundi, & amore hujus vitæ quàm facilis possit esse victoria, eleganter ostendit. 1. Si mundi statum contemplemur, tantâ rerum labe contritus est, inquit, ut etiam speciem seductionis amiserit; & quantum laudandi sunt, atque predicandi, qui dignati non sunt etiam cum mundo florere, tantum increpandi & accusandi sunt, quos perire cum perente delectat.

Secundò, Quid habet hæc vita amabilitatis, si cum Deo vitaque cum illo in æternum agenda conferatur? quid tamen periculorum & laborum non subeunt homines, pro vita hac labili, incerta, & quandoque finienda; qui citius sapè eam finiunt, eo ipso quod finire formidant, veluti si quispiam fluvio rapiendus irruat, latronem, bestiamvè fugiendo.

Et quamvis in similia rerum executione videantur homines non tam facile ad illa descendere, sed quandam quasi violentiam patiti; id tamen faciunt, & amore vitæ faciunt, eoque cum aliarum rerum amore concurrente, & semper victore, non tam difficultatem in eo, quod faciunt, experiri videntur, quàm amoris ductum sequi. *Iactant, inquit, in mare tempestate*

18.
Ut vita
mercatoris
merci-
bus.

peffate feviente aliquando & alimen-
ta, & ut vivant, projiciunt unde vi-
vant. Sponte id faciunt & amore
vitæ id faciliùs exequuntur, quàm
amore ciborum & mercium ab
illa jactura subeunda revocentur:
quibus cruciantur doloribus, qui
cruciantur à medicis? Multi cru-
ciatus suscipiuntur certi, ut pauci
dies adyciantur incerti: & quod ma-
gis mirère, interdum inter manus
medicorum doloribus victi vitam
amittunt, ad quos subeundos amor
vitæ spontaneus illos impellit.
Hic consideratis, inquit idem S. Do-
ctor, quid magnum vita aeterna (hoc
est Deus) jubet amatoribus suis, cum
sic jubet se amari, quemadmodum hæc
amatur ab amatoribus suis? nihil
sanè magnum, nihil difficile; nam
si contemnantur omnia, quæ
amantur in mundo, ut vita post
paululum finienda, saltè illud
paululum temporis teneatur in
mundo; cur non faciliùs contem-
natur mundus, ut ametur ille, per
quem factus est mundus?

20.
In Dei
amore ni-
hil est quod
deterreat.

Tertiò in istis duobus amori-
bus, qui contra militant, multa
sunt tot obfessa difficultatibus, ut
terrere potiùs, quàm invitare vi-
deantur: at verò in amore Dei,
quid non promptum, & in expedi-
to? ibi etsi voluntas ad aman-
dum pellecta eò ferri se sinat, quò
trahitur; quia tamen adipiscendi
& retinendi facultas deest, in me-
dio conatu persæpè succumbit; at

verò in amoris Dei super omni^a
debito persolvendo, in quo hujus^s
vitæ justitia consistit, concurrunt
simul velle, posse, & habere. *Iusta
vita* (inquit ibidem S. Augusti-
nus, & nos de amore Dei id ipsum
dici putemus) cum volumus adest, *Ibidem.*
quia eã ipsam plenè velle justitia est:
nec plus aliquid perscienda justitia,
quàm perfectam voluntatem requirit:
vide si labor est, ubi velle satis est: sed
voluntas ut plena sit, oportet ut sana
sit: erit autem sana, si medicum non
refugiat, cuius solius gratia sanari po-
test. Addit illum esse, qui dicit:
Venite ad me omnes qui laboratis ju-
gum enim meum suave est.

Ubi plures amores de cordis
possessione dimicant, penes præ-
stabiliorè semper est victoria, si
eius maior præstantia cognoscitur.
Modo cum Roma, inquit idem
Sanctus, Barbarico vastaretur in-
cursu (agit de expugnatione & di-
reptione urbis Romæ ab Alarico
anno 410. nono Calendas Sep-
tembris Honorio Imperante)
quàm multi hujus vita temporalis a-
matores, ut eam vel infeliciter produ-
cendam, nudamq; redimerent, dede-
runt omnia, quæ illi non solum oble-
ctanda, & ornanda, verumetiam su-
stentanda, tuendaq; servabant; solent
amatores illis, quas amant, ut eas ha-
beant, multa conferre, isti amantem
suam non haberent, nisi amando in-
opem reddidissent.

Atque, hæc omnia facilitatem
G amoris

Certa eius
possessio.

amoris Dei super omnia persua-
dere mihi videntur; si enim tam
facile amore vitæ contemnuntur
omnia, cuius tam post tantam ex-
spoliationem incerta est conser-
vatio, & brevis possessio, quanto
magis in proclivi dicemus esse ho-
mini ratione prædico Deum om-
nibus præponere solius amoris
sancti impulsu, de cuius æternâ
possessione certus sit, atque secu-
rus; atque hoc est quod tot mar-
tyres induxit, ut essent & in om-
nium rerum abdicatione mirabi-
les, & in cruciatuum mortisque
perpessione fortissimi. ~~et~~ intuere
mecum unum aut alterum & quo-
rum alacritate de facilitate Deo
omnia postponendi iudicium fe-
ras.

28. April.

22.

Patet ex-
emplum
S. Nestorij.

Miserat Diocletianus Impera-
tor Præsides & Judices in Ægyp-
tum, qui in Christianos, si à Chri-
sto desciscere nollent, ferro flam-
mæque desævirent. Vivebat tum
in Ægypto Nestorius vir opulen-
tus, & virtutum famâ celebris, qui
cum conjuge unicam habebat fi-
liam jam nubilem, & multorum
juvenum ob divitias & formam
votum. Paphnutius Abbas è soli-
tudine in certamen pro fide cum
Arriano Præsede descenderat, &
jam non unam tantum, sed plures
tum per se, tum per alios, quos fide
& constantiâ armarat, de tyranno
palmas tulerat. Is fortè urbem ob
ambulans domum Nestorij aper-

tam reperit, ingressusque Patrem
& conjugem filiamque Stephe-
nam nomine, verbis ad marty-
rium accendit: Jesus Christus,
inquit, iussit ad vos diverterem &
tanquam suæ gloriæ præparata in-
strumenta, ad ultimum, pro ejus
amore certamen animarem: sur-
gite, eamus, Præsidemque profi-
tendæ fidei gratiâ mecum adite:
non semper similitum palmarum
offert sese occasio: Eamus, pro-
peremus, ut coronis potiâmur.
Surgit, ac præit, sequuntur animo-
sè reliqui, ad eum ut uxor pedem do-
mo efferens hæc diceret: En Do-
mine domum apertam relinquo,
& omni auro argentoque ac su-
pellestilibus in illa congestis nun-
tium remitto, tu mihi etiam cœ-
lum aperire dignare. Ad Arriani
tribunal perveniunt, contra quem
inclamans Paphnutius: Iterum,
inquit, contra te venio: tu cum
Apolline tuo, & ego cum Domi-
no meo Jesu Christo. Excanduit
Præsides, & infremuit, & objurga-
to Nestorio ad eius filiam con-
versus, eam blanditijs & minis a-
doritur, quam cum rupe con-
stantiorem reperisset, carnificibus
præcepit eam suspendere, &
ungulis dilacerarent. Id continuò
tam atrociter exequuntur, ut co-
stis apertis, & sanguine undique
fluente cum morte luctaretur: à
dextris verò stans mater; Sustine,
ajebat, paululum filia, in foribus
cik

est bravium; scis à me tibi dotem amplissimam paratam fuisse, quò te nobilissimo civitatis in conjugem darem: sed voluit te sponsam Christus, qui te nunc ad caelestem thalamum admitter. Sed & Pater caelesti gaudio perfusus, Fortis esto, dicebat; filia, nunc Dei in nos benevolentiam agnosco, qui tanto nos dignatur honore: gaudeo & exulto te donum Deo pre-mitti à nobis. Quæ inter verba cum ad hepar dilacerandum carnifices pervenissent, puella spiritum Deo reddidit: parentes paulò post à carnificibus obruncati filia comites in celo futuri parem lauream retulerunt.

22.
Et aliorum,

Quid de alijs dicam, quos Paphnutius è manibus Præsidis ope Angeli non semel ereptus, non tam clausum insonans, quàm velut nuptiali fistulâ ad epulas invitans ad amandum Deum super omnia, & atrociora tormenta amore eius subeunda, mortemque ipsam oppetendam pèllexit potiùs, quàm compulit: obvios habet pueros sedecim ad scholam properantes, eos tantillum an velint esse martyres rogat, quantumque bonum sit sanguinem pro Deo fundere, edocet, adeoque succendit, ut ad Præsidis tribunal cum eo se conferant; eum ultrò lacessunt, ac ad cerramen provocant, se esse Christianos, & pro Christo tormenta omnia mortemque ip-

sam perlubenter toleraturos magnâ voce profitentur; unus ex illis annorum tredecim, qui cum edictum Cæsaris legere, & thus dijs adolere juberetur, edictum ipsum flammis comburendum tradidit; igne consumptus fuit, cæteri telis transfixi ad Superos evolarunt. Vide quæso, an amare Deum super omnia difficile sit, cum pueri id citiùs, faciliusque quàm lectiones suas addiscere videantur. Idem octoginta quatuor piscatores, idem quadringenti milites unâ cù duce suo Eusebio à Paphnutio verbis edocti, Præsidè-que deinde aggressi, & tormentorum omnium mortisque victores totam Ægyptum, posterosque docuere, quàm non sit difficile vitam pro Christi amicitia tuenda lubenter ponere: in quo præceptum amoris Dei super omnia magnificè impleri nemo non vider.

Sed fortasse morosus aliquis hæc antiquitate velut obsoleta rejiciet, & horum temporum, quibus charitas refrixisse videtur, exempla postulabit. En unum, pluribus, quæ nobis Japonia subministrat. Jacobus Nacaximi illustri martyrio pro fide Christi fide perfunctus, tres liberos teneræ adhuc ætatis conjugi suæ Agathæ reliquerat; Joannes major natu novennis erat, Michael quinquennis, Ignatius natu minimus vix duos annos numerabat. Paucis post

24.
Japonum
martyrum,

Obitum Patris diebus hi tres sententiâ Judicis ad mortem damnantur; Joanni in platea ludenti id innotescit. Quid animi putas fuisse ad istud ferale nuntium puerulo alia omnia isto articulo cogitanti? Animo nihil consternatus, confestim domum regreditur, & accepto rosario genua flectit, preces fundit, ipsâque absolutis alacris cum fratre Michaeli cibum sumit, & quasi ad aliquod nuptiale convivium vocarentur, capillitium comunt, & ornamentis suis instruunt, elegantiores vestes induunt, & Matri, avo aliisque qui aderant, tantâ vultûs hilaritate vale ultimum dicunt, ut omnes in admirationem stetumque raperent. Minimus ipse Ignatius, dum ad supplicium militibus vallatus incedit, tantâ pre toto, motuque corporis animi lætitiâ præferebat, ut in spectatores Christianos eundem sensum transfunderet, eosque ad agendas Deo gratias excitaret. Dederat se comitem Mater, & aliquâ parte itineris confecta, conjectis in illos à longè oculis postremum vale dicebat; illi vicissim elevatâ manu, tanquam ultimam benedictionem postulantes ore renidente, & hilariter, illam aspectabant, omnibus qui aderant pro rei novitate collacrymantibus. Ubi ad locum supplicij devenere, suo quisque ordine genua flectunt; Joannes ve-

ste bene compositâ collum ultrò suis ipse manibus denudans, manibusque & oculis in cælum erectis, tantâ tranquillitate flexis poplitibus ictum carnificis præstolatur, ut idolorum cultores stupore attonitos desigeret; ipsumque carnificem suâ illâ constantiâ ita perculit ut feriendo aberraret, puerumque in terram prosterneret; qui eadem quâ erat oris compositione humi jacens repetitum à carnifice ictum excipiens, animam innocentem Deo reddidit, Idem Michaeli, Ignatioque contigit qui ad sanguinis fraterni conspectum imperturbati, cum in collo infantili vix mucroni excipiendo esset locus, repetito & ipsi ictu vitam posuere. Exeste nunc imbelles animæ, & ora vestra caputque vili pudore obnubite, qui levibus de causis, nullâ propemodum pugna læcessiti, in implendo præcepto amoris Dei super omnia deficitis animo, & lethalem culpam contrahitis; neque mihi difficultatem obtendite, cum pueruli gestientes & velut ludibundi præceptum illud implant; non est opus ad id vobis giganteo robore, non vigiliarum, & jejuniorum assiduitate, non ciliciorum afflictationibus, non alicuius Cœnobij clausurâ aut macerationibus; rei totius cardo in unico voluntatis actu consistit: velis, & rem confeceris? quod Sancta Catharina Genensis

25.
Magno in
constan-
tiam pro-
bro.

nuenſis unicâ reſponſione apoſi-
tè declaravit ; cùm enim Cœno-
bita dicere ſe à ſua Religioſa pro-
feſſione plus adjumenti accipere
diceret ad amandum Deum ſu-
per omnia , quàm illi ſuppeteret in
ſua vivendi ratione ; ſi hoc , in-
quit illa , verum eſſet , ego tibi ve-
ſtem tuam violèntè ſurriperem ,
meque illâ induerem : ſed certum
mihi eſt , hanc gratiam unicuique
à Deo amanter offerri , totumque
in noſtra acceptatione conſiſtere.

CAPUT IX.

*Poſſe impleri præceptum amo-
ris Dei ſuper omnia etiam
in medijs tentationibus ,
ariditatibus , & animi af-
ſiictionibus.*

I.
Virtus ad-
verſis pro-
batur.

Difficultates , quæ amorem Dei
impediunt , aut domi naſcun-
tur , aut extrinſecus obveniunt :
quæ foris ingruunt , & vel bona
fortuna , vel honores , aut corpo-
ris fanitatem impetunt ; amoris
Dei exercitationem non impe-
diunt , ſed promovent. Abraham
immolandi filij præcepto accepto ,
Job in fortunarum everſione &
familia totius occaſu triftitiâ op-
preſſus , David Semei impudentiâ
& injurijs exagitatus , exercendi
amoris occaſiones naſti , Deum

bonis fortuna , honori , & libero-
rum amori fortiter prætulere : id
fortaſſe nunquam facturi , ſi pro-
pero ſemper vento uſi fuiſſent : ut
enim vehementi flatu fax accen-
ditur , ira Dei amor adverſis vires
ſumit. Miles in urbis alicuius aſſul-
tu , aut conſictu cum hoſtibus
magis ſe Regi probat , quàm ſi in
aliquo procul ab hoſtibus præſi-
dio annum agat. Virgo aliqua ca-
ſtimonia amans maius amoris ſui
argumentum dabit , ſi impura cogi-
tationis imagine provocetur &
repugnet , quàm ſi in meditationis
ſilentio ſummâ animi tranquillita-
te ac voluptate horam tranſigat.
Suſanna à ſenibus impudicis impe-
rita , accuſata , damnata dum firmiter
apud ſe ſtatuit fama potius , &
vitæ jaſturam facere quàm Deum
offendere , illuſtrius amoris divini
trophæum erexit , quàm ſi inter
domeſticos parietes tranquillè , &
ſine reprehentione Matris familias
munus obijſſet. In ſimilibus peri-
culis evigilat , & excitatur animus ,
& Deo amico manult emori , quàm
illo offenſo vivere. Quis non vi-
det , illum , qui ne cibum vetitum
comederet , morbum incurrit , &
vitam amiſit , & alterum qui vindi-
ctæ appetitu concitatus , tantam
ſibi in ea reprimenda vim fecit , ut
venâ ruptâ ſanguinem vomeret , &
vomitu illo ſuffocaretur , fortius in
divini amoris palæſtrafeciffe , quàm
ſi in illam pro virtute decertandi

occasionem conjecti non fuissent.

2.
Etiam op-
pugnata
voluntate.

Sed fortassis censebit aliquis hæc locum non habere in alijs difficultatibus, quæ mentis arcem impugnant, dum obnubilatur ratio, & voluntas transversum agitur, & tumultui domestico miscentur omnia; inferioribus facultatibus imperium rationis detrectantibus: sed tiam tum impleri posse præceptum amandi Deum super omnia, plurium quas vitæ sanctimoniâ celebriores, redditas historiæ testantur: in his Catharinæ Bononiensi, ut maximè illustri, primum locum dabo.

3.
Probarur
exemplo
Cathari-
næ Bono-
niensis.

Fuit hæc Virgo uti sanctitatis & gratiarum omnium miraculum, ita pro Dei amore certaminum theatrum incomparabile; occasionem præcipuam dedit levis culpa, & occulta præsumptio: aggressus erat illam Dæmon & cogitationis cujusdam importunitate perturbare eius animum conabatur; cum illa id advertens, dæmoni que insultans, dixit: Artes tuas novi, non poteris deinceps tam subtiliter tentationum tuarum telam contra me ordiri, quin ego illas deprehendam. Displicuit hæc animi præfidentia amantissimo ejus sponso Iesu Christo, utque illam puniret, purgaretque, & ad profundâ animi demissionem experientia infirmitatis propriæ adduceret; laxavit habenas dæmoni, permisitque, ut

illam occultis machinis, & fallacibus visis, dictisque in fraudem adduceret; quod tanto fecit artificio, ut illam morore propè confectam de statu mentis quodammodo deijceret. Induit aliquando formam Deiparæ, & blandè Catharinam compellans dixit: Abijce à te vitiosum amorem, & purum atque laudabilem cordi tuo inferâ. Credidit illa verè esse Beatam Virginem, quia tum temporis ab ea supplici prece flagitabat, sibi à Filio Dei amorem impetraret. Itaque statuit apud se amori proprio strenuè bellum inferre, ac præsertim voluntati proprioque judicio per obedientiam frænum iniicere, ut se commovere non auderet superiorum injussu: (erat ex ordine Sanctæ Claræ.)

Dæmon ex adverso contra res à superioribus injunctas ingentem cogitationum multitudinem continenter exsuscitat, & vel exiguæ morulæ inducias non concedit. Illas à se abdicare virgo dum conatur, operam se perdere videt, superiorem adit, bellum intestinum aperit, veniam humi prostrata humillimè postulat: sed frustra omnia: cogitationes & judicia contra obedientiam dæmon exaggerat, inde perturbatio animi, anxietates, tristitiæ, pusillitates, quæ novâ apparitione dæmonis in formam Christi deformati incrementum sumpsere. Increpabat illam acriter
sup.

4.

suppositivus ille Jesus, quod suum sibi cor illa suffurata esset, & cum peteret, qui hoc fieri potuisset, cum esset egentissima, nihilque in hoc mundo possideret; addidit dæmon transformatus, non esse ita pauperem, ut se jactabat: dedisse se illi tres facultates, intellectum, voluntatem, atque memoriam, & illam vicissim per obedientiam votum sibi illas restituisse, nunc eas ipsam resumpsisse, & in hoc eius latrocinium consistere. Illa verò arbitrata id à Christo dici propter multitudinem cogitationum obedientiam impugnantium, quibus continuò infestabatur, dixit: Domine quid hac in parte fieri à me desideras, cum istæ cogitationes non videantur esse in mea potestate, & invitam occupent? Tum deceptorius ille Christus. Accipe, ait, intellectum, memoriam, & voluntatem, & ne permittes ut alteri rei se occupent, quàm Superiorum exequendæ voluntati. Quis id faciam: inquit illa, cum illis potentibus pro libitu imperitare non possim, & contra voluntatem intellectus judicet subito, & memoria etiam alicuius rei recordetur? Imò verò, inquit larvatus dæmon, velle tuum superiorum voluntati submitte: nihil aliud velis & nolis, quàm quod illi probaverint; res fugitivæ te non remorentur; omni promptitudine obedientiam exerce, &

omni actioni punctum aliquod Passionis meæ admisce. Atque his alijsque commemoratis evanuit. Interea classicum fortius canit, pugnamque cogitationum acrius renovat, tacitis murmurationibus, & alienationibus animi à superiore mentem eius implet: illa verò omnia superiori aperire, ad pedes eius accidere, culpam deprecari, & lacrymis pavementum spargere, idque tam abundanter, ut deficienti humore aquo sanguinem oculis funderet: inde arido, & exsiccato cerebro labor oritur ingens in precibus horarijs persolvendis, hinc mceror & perturbatio, quæ quò se verteret, non videbat, aded ut à desperatione, imò & insania propius abesse videretur: cum ad sacram synaxim accederet, horrore concutiebatur, & ne recederet, manibus propè altantium retinenda erat: Cimmerijs in animo tenebris obseptæ videbatur. Durarunt hæc quinquennio: quo toto tempore an nullum amoris Dei super omnia actum exercuisse putabimus? imò verò frequentissimos; Heroicos: testantur id sanguineæ illæ lacrymæ, illæ ad pedes superioris abiectioes, & sui accusationes, illud cōtinuum partis superioris cum inferiore in retundendis murmurationibus certamen, quas etsi persentisceret, ferebat tamen invita, & pro virili abicere conabatur: quod ipsum deinde illi
appa-

apparens significavit Christus, dicens nullam ab illa inter tot demonis insultus, & prælia culpam admittam; plus meruisse, dum ad sacram communionem cum luctu accesserat, quam si suavissima voluptatis sensu perfusa fuisset; quo tamen Deus illam deinceps donavit. Hoc lumine illa illustrata, gratias egit Redemptori suo longè maximas, quod viâ tam admirabili per continua certamina, tenebrasque mentis horribiles, tanto fructu animam suam locupletasset. Id ipsum docuit aliquando bonus Angelus hominem solitarium; qui ab impudicis & alterius generis imaginibus decennio toto infestatus, cum in illa velitatione sapius se minus fortiter egisse crederet, quam ut graviori culpâ vacaret; exclamabat: Væ mihi, perdidisti animam meam: illum consolans Angelus dixit: Decem anni exacti corona tua erant; jam istis certaminibus liber eris; & quod reliquum est vitæ, pacificum quidem, sed minus fructuosum tibi decurreret.

6.
Et Anonymi
bien-
nio ten-
tati.

7.
Quid tunc
agendum.

Laboremus ignorantiam nostram, & in discernendis animi processibus cæcutiimus; cum verò inter partem animi superiorem inferioremque caliginosa perseverat dimicatio, tum demum an pars superior officio suo non defuerit, & penes quam tandem steterit victoria, agrè dignoscimus. Optimum

factu est, rem totam emendicatio obiter lumine caelesti moderatè discutere; tum si quæ deprehendatur, aut timeatur culpa, eam deprecari, ac reliquium divina Clementiæ committere. Alere interea continuum Deo placendi desiderium, & graviorem eius offensam perhorrescere; hocque arbitrari; magnum esse amoris divini in intimis animi recessibus delitescens argumentum.

Audiamus secundo loco Sanctam Tereciam, quæ in ista conflictuum interiorum palæstra exercitata, ad magnam sanctitatem & in doctrinæ caelestis Magistræ evasit. Ita illa vitæ suæ 3. Capite loquitur: Contingebat aliquando, & nunc etiam interdum contingit, ut angoribus animi maximis conflictata, & tam ingentibus in corpore doloribus cruciata, ut illis ferendis impar viderer; omniumque gratiarum, quas mihi fecerat Deus, prorsus obliviscerer, superesset illarum exigua & velut somnij transacti recordatio, quæ augendæ dumtaxat molestiæ serviebat. Eò quòd intellectus medijs in tenebris oppressus animum meum mille dubijs involueret, quasi ea quæ mihi prius contulerat Deus, nec bene percepissem, nec confesarijs meis, uti se habebant, explicuissem; videbar mihi præterea tam nequam esse, ut omnia mala & hæreses peccatis meis ascriberem.

8.
S. Terecia
de falsa
humilitate
anxia.

9.
Eam de-
mum à
veradifcer-
nit.

das crederem: quod à falsa humi-
litate manabat, quam ideo diabo-
lus animo meo impresserat, ut me
turbando, & quietem omnem eri-
piendo, experiretur, an tandem in
desperationis barathrum præci-
pitem dare posset: quod à dæmo-
ne proficisci ita compertum ha-
beo, ut ex quo id mihi persuasi,
ad istas artes amplius ipse non re-
deat, falsam verò esse illam humi-
litem hæc ostendunt, inquietu-
do mentis, euagatio, perturbatio
toto tempore, quo illa durat, obs-
curitas & afflictio & siccitas, ac ad
orationem cæteraque bona opera
nauseabunda quædam tarditas, ut
animus quodammodo suffocatus,
& corpus quasi compedibus vin-
ctum, & ad omnia ineptum videat-
ur. Vera humilitas secum turba-
tionem non trahit, ac licet homi-
ni persuadeat, ipsum esse nequissi-
mum, non tamen tenebris animum
involuit, sed illi dilucidam cog-
nitionem relinquit, quâ dolet ex una
parte se tot peccatis obnoxium, ex
altera verò levamen & consolati-
onem haurit, Deumque laudat,
quòd tantâ patientiâ se tulerit &
punire distulerit. In alia illa Hu-
militate videtur Deus ferro flam-
maque omnia persequi, licet illum
præstare misericordiâ fide credat,
inde tamen potius magis torque-
tur, quàm levationem accipit,
quod maioribus inde se vinculis
obstrictum iudicet, quàm ut ijs ex-

pedire se possit.

Addit præterea dæmonem in-
terdum rerum levium, quæ aliàs ri-
diculæ videbantur, repræsentatio-
ne ita intellectum suum imple-
visse, & in omnem quam volebat
partem inclinasse, ut animus velut
vinctus, suarum cogitationum
dominium amisisse videretur; non
poterat excutere ludicras illas &
futiles imagines, non uno in loco
consistere, tum de homine lusum
suum facere dæmones, & illum
pro pilâ habere, videbantur
vix dici potest, quantum id
temporis animus patiat, cum
nullibi nec à Deo quidem ad se ex-
tricandum opem & auxilium nan-
cisci possit: fides tum cæteraque
virtutes aut mortuæ aut sopitæ
jacent, & quod de Deo cognoscit,
à procul hausto lumine proficisci
videtur: amor Dei ita intepuit, ut
quod de illo credit, hoc solo no-
mine credat, quia ita credendum
proponit Ecclesia, & sapidæ cog-
nitionis, quam aliàs experta est,
nullo modo recordari potest: ora-
re, cellæ solitudinem colere; an-
gorem animi augere est: anxietas
enim animi, cuius causam igno-
rat, intolerabilis apparet, & infer-
num aliquo modo repræsentare
videtur, quia animus igne ignoto
seipsum consumi sentit, nec repe-
rit unde illum extinguat: quærere
remedium ab aliqua pia lectione
frustrâ est, levamen à conversatio-

10.
Varijs im-
petit mo-
lestijs,

H ne

ne cum alijs emendicare pejus remedium est: miseram animam demon velut rabie quadam exagitat, quâ homines dentibus lacerare vellet, si posset, & multum est quod magnum aliquod malum Deo illam retinente aliam non inferat: atque hæc certamina dies aliquando quindecim, quandoque diutiùs perdurabant. Ecce sanè laborantis animæ statum omni dignum commiseratione; sed an illo tempore nullus amoris actus velut è caligine prorumpere arbitrabimur? qui in illo agone versatur, nullos agnoscat; sed si propiùs inspiciamus, dicemus inter illas angustias maximè generosos exerceri. Primò pati pro Deo manus majus est amoris indicium, quàm agere: deinde unicum *fat* corde proferre, & Deo nos conflictus & angores permittenti magnâ animi demissione consentire, maxime est conformationis, animi & amoris consequenter divini actus præstantissimus: per quem sæpius repetitum Sanctam Tereciam ad magnæ sanctitatis apicem gradum fecisse non dubito.

11.
Tamen
virtutis
actus ex-
ercebat.

12.
Margarita
d'Arbo-
rete.

Margarita D' Arborete virgo nostris temporibus contestatæ virtutis, cum corpore, & animo gravissimis doloribus affligeretur, eumque qui illi erat à rebus conscientie dirigendis, ad commiserationem permoveret; isque suaderet ut illis animi angoribus se ex-

pedire conaretur. Omnem, inquit illa, conatum adhibui, sed incassum, quò magis à colloquiis & communicatione cum alijs levationem quero, eò magis corporis animique tormenta accrescunt: ita tamen me animo constitutam sentio, ut ijs liberari omnino nolim: ferendum est, tolerandum est, & cum Deo in voluntatis & gaudij conspirationem veniendum: sic enim melius habere me sentio, & magis Deo conjungi: Jesus sponsus inter exercuciatos, & patientes primus fuit, & inter amantes etiam palmam tulit. Humanitas etiam inter ista hypostatice Verbo unita fuit: quem proinde cum propiùs imitabor, eò magis in unum idemque cum illo conspirabo, & collineabo. Hoc præterea pensandum est: aliud esse amare, aliud me pernoscere quod amem. Amor ille superior nullo sensu percipi potest, latet sub crucibus, & in intimis animi recessibus operatur, quò sensuum nullus penetrat, eò velut in arcem & ultimum propugnaculum confugit: inde emanant amanti hæ voces, *Deus meus, tuus sum deoq; semper:* quas non tam ore exprimit, quàm omnimoda cum voluntate Dei conformatione; quæ tacita quædam precatio est ceteris omnibus excellentior, quâ se animus seipso quasi exuit, & omnibus afflictionibus superior in Deum se totum trans-

13.
Confi-
gant se
Christi
imita-
tione.

14.
Et volun-
tatis con-
forma-
tione.

transfert, & omni jure propriæ voluntatis se prorsus exspoliat, quasi Deo diceret: Verum est me multū pati, Deus meus, sed aliter mecum agi nolo, quando ita vis: Verum etiam est, aliquam mei partem has afflictiones refugere, sed non quod ego volo, sed quod tu: amabo hanc crucem, hos dolores, imò potius hunc Infernum, quamdiu volueris, & illos non in seipsis amabo, sed ut à tua voluntate affignatos, quæ sola amoris mei regula est.

15.
Francisci
de Salez
de illo
statu judi-
cium,

Quid tandem inter dolendum & ingentem afflictionum caliginē possit animus, audiamus à viro sanctissimo & in amoris castris primipilo B. Francisco Salez: Non, inquit, eousque unquam deijcitur, ut in potestate nostra non sit, coram divina Majestate per humilem submissionem eius voluntati sacrificium propriæ voluntatis offerre, & proposito de illo non offendendo animum obfirmare: hoc ipsum est, quod aliquando ab animis eximijs & selectis postulat Deus, ut scilicet in maximi animi ægritudine, in ariditatibus, & omnium solationum privatione, hisce actibus constantiam alant, & in supremo mentis recessu Christum sequi proponant, nullo alio freti præsidio, quàm unicâ hac persuasione, Deum ita velle: An non quæso hujusmodi, actus animi cæteris præstant? cum ab amore

16.
Quàm ille
nobilis.

proprio absunt quàm maximè, nec in ijs nobis ipsis facinus satis; aut ab illis, quibus res conscientia dirigendas commisimus, adjumentum aut levamen accipimus, omni pace & tranquillitate super ea, quæ in nobis aguntur, destituti, in tanta scilicet rerum confusione, unica Dei voluntas pro cynosurâ nobis est; hoc volumus tantum, quod Deus vult, & prout vult, & ad eum finem, quem vult, nihilque ultrâ inquirimus, & ne quidem desideramus scire, an hunc nostrum agendi modum ipse approbet; hoc uno contenti, quod Deus agat de nobis quod vult, in seij, quò collinet, & voluptatem ex ejus voluntatis executione potius, quàm ex commodo nostro proventuque capientes: quo ulterius procedere queat animus, non video, neque quâ viâ magis ab amore proprio sejunctâ possit ingredi, & quamvis aliquis mille mûdorum possessione lubens volensque se pro Dei amore exueret, non tamen parem cum illo, quem descripsimus, actu perfectionis gradum attingeret. Adjungamus his luculentum ad id, quo de agimus, probandam è vita Magdalenzæ de Pazzi argumentum: Illa velut in locum Leonum, ut ajebat, præceps data, hoc est dæmonum invidia, odio, furori que exposita, & ab illis quinque tentationum generibus impetita, eousque deducta

17.
Magdale-
na de
Pazzi in
extremis
angustijs.

H 2 est,

est, ut aliquando exclamaret: Ego, ego vitiorum omnium mera sum vorago, atque colluvies; ego ex omnibus offensis, quibus divina Majestas læditur, constata vomica: nihil in me boni video, præter exiguum quid bonæ voluntatis de liberatè peccato non consentienti. Miror quæ Deus & res creatæ tam sceleratam impunitam ferant: atque hæc de suis peccatis nebulosa existimatio eo usque processerat, ut à desperatione salutis propius abesset; nihil enim pro se in cælo misericordiæ superesse arbitrabatur, neque magis à Deo se desereri posse putabat: intellexit tamen hinc finem non esse, sed magis ac magis à Deo superisque omnibus se desertum iri, majoribus involuendam tenebris & ab hostibus cruciandam, quod accidit. Hoc unum metuebat, ne dum blasphemis & impuris cogitationibus exagitabatur, offensam Dei aliquam culpamque incurrisset: hinc tot lacrymæ, atque suspiria, ut astante commiseratione compleret: hoc tamen metu à B. Virgine, cuius patrocinium implorabat, levata est, dum in istis nullâ se culpâ contaminatam fuisse ex illa cognovit: quod ipsa etiam exacto tentationum quinquennio clarius percepit; cumque istud cecinisset: *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium;* addidit: Fierine potest, Deus meus,

18.
Peccati
secura fit
à B. Virg.

ut id, quod peccatum reputabam, peccatum non esset; sed gloriæ & voluptatis pro me seges uberrima! Juvate me sorores in gratijs Deo pro tam singulari beneficio habendis, & agendis.

CAPUT X.

An possit homo scire, exerceatne actum amoris Dei super omnia.

Certus sibi videbatur de amore Dei super omnia S. Augustinus, cum diceret: *Non dubiâ, sed certâ conscientiâ, Domine, amo te.* S. Bernardus in Canticis inducit dilectam dicentem, dubitare se non posse, quin à Dilecto ametur & illum: vicissim ipsa amet: *Ego amans amari me dubitare non possum, non plus quàm amare.*

1.
Datur
certitudo
moralis
de amore
Dei,
Lib. 10.
Conf. cap. 6
Serm. 54.
in Cant.

Non sunt tamen hæc accipienda de certitudine absoluta, & infallibili, qualis est in articulis Fidei, quibus tubesse falsum nullo modo potest, sed de persuasione morali, quæ nullis in oppositum argumentis vehementer oppugnatur. Amor proprius tot se involucris obtegit, & actiones, quas etiam arbitramur sanctissimas, suo venenolam inficit, ut etiam perspicacissimis hæc in parte imponat, & illudat. Quot enim in Deo amando commodum suum spectant aur gustam?

2.
Quæ sub-
inde fallit

gustum? quàm multi profitentur, malle se omnium jacturam facere, quàm peccato aliquo divinam violare Majestatem, non tam Dei causâ, quàm majorum malorum metu, quæ Dei offensa secum vehit? Quot sunt, qui si fulmine Deus manum non armaret, & ex alia parte ostentaret cæli gaudia, non amarent Deum amore, quem vocant, præferentiæ? quot Deum amare, dum ad libitum fluunt omnia, & dum adversa ingruunt, Deo terga vertere conspiciunt? quot orationis tempore, mirandis in Deum affectibus ferri, & magna promittere, & paulò post turpiter cadere, eaque facere, quæ cum amore divino consistere non possunt?

3. *Utr fortasse in S. Petro.*
 Quis non sibi persuadeat S. Petrum exercuisse actum amoris super omnia, cum diceret: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo?* non videtur tamen id sensitisse S. Augustinus: *Tunc, inquit, se non noverat Petrus, quando dixit: Tecum ero usque ad mortem, & quàm esset infirmus nesciebat: quomodo plerumque revera & infirmus conringit, ut ægrotus nesciat, quid cum illo agatur, medicus autem sciat: cum ille ægritudinem illam patiat, medicus non patiat. Petrus ergo tunc infirmus, Dominus autem medicus. Iste dicebat se habere vires, quas non habebat: ille autem tangens venam cordis, quoddam eum, esset negaturus: & ita factum est, quomodo prædixit Medi-*

cus, non quomodo præsumpsit ægrotus. Multi sunt fructus extrinsecus pulchri, quos tamen intus vermis arrodit: multæ gemmæ adulterinæ, quæ veras & germanas colore & specie mentiuntur, & imperitis illudunt: amorem Dei super omnia oportet esse aurum sine scoria, granum sine palea & nummum justî ponderis. Sanctum Ægidium S. Francisci alumnum dicere solitum accepimus, sicut in alex lusu, unius puncti defectus victoriam & pecuniam lusori suffuratur: ita si Dei amor super omnia, omnibus animi affectibus superior non existat, si vel unus sit, quem aut non velit, aut non possit vincere, amoris super omnia non meretur nomen aut præmium.

Sit ergo primò amor hic super omnia purus & defæcatus, & ab omni commodi proprii intentione alienus, & quamvis ingentibus, quibus nos affectit Deus beneficijs, ad amandum provochemur, non tamen amemus propter illa, sed ijs utamur ut ducibus ad Dei bonitatem, sapientiam, liberalitatem, cæterasque eius perfectiones, quæ illum reddunt amabilem, clariùs cognoscendas.

Secundò non spectemus in amando mercedem; imò si per impossibile Deus se à me amari nesciret, nullamque proinde pro bono nostro erga illum affectu habiturus esset gratiam, amaremus ni-

H 3 hilo-

4.
Similia.

5.
Amor sit purus.

6.
Non attendat mercedem.

hilominus, & fortunarum omnium direptionem pateremur potius quam aliquid illi ingratum, incuriosumque vellemus admittere: hoc solo nomine, quia propter semetipsum summe amabilis est. Quin eousque amor iste promovendus, ut si flammis æternis propter scelera mea addicendum me cognoscerem, vellem tamen toto vitæ decursu amori super omnia pro virili me impendere; exemplo generosi illius Monachi, qui feniori, sub cuius disciplinâ vivebat cuique damon de damnatione discipuli fallaciter imposuerat, respondit; tantò impensius amoris divini exercitationi daturum se operam, quantò brevius temporis spatium sibi concessum esse didicisset: nolim tamen super hoc puncto deliberent infirmiores animæ, ne velut ad scopulum adhærescant, & expediri se nequeant: quandoquidem inter celebres Theologos sit qui dicat, aliquem contra amoris præceptum non peccaturum, qui illum à se, nisi mercedis, aut pœnæ repræsentatione tanquam stimulo uteretur, impetrare non posset: stimulus est merces illa, non finis, neque in illa consistit amantis intentio, sed ulterius ad amandum Deum propter se gradum facit.

8.
Modò verus sit amor &

Tertiò fallimur nonnumquam, dum de aliquo amoris actu sententiam ex effectu proferimus: con-

tingit enim hominem inter meditando ita inflammari incendiisque ad amorem, ut Deum verè rebus omnibus in illa umbraticâ velitatione anteponat, qui deinde oblatâ veri certaminis occasione turpiter deficiat: quod uni è S. Pachomij discipulis contigisse crediderim; is facibus amoris ad promovendam Dei gloriam concitatus, statuit apud se in convertendis ad fidem propè degentibus Idololatri operam & vitam etiam, si ita res ferret, impendere. Ad id agendum ab Abbate invite licetiam extorquet; sed ubi id agit barbaris irritatis, & mortè minitantibus cruciatuum vi adactus idolis ipse thus adolet, & còtinuò pœnitentia ductus ad Abbatem seipsum incusans revertitur, ab illo, inclusus, post lacrymas & jejunia, & alia pœnarum genera magna animi demissione susceptâ, tandem cum Deo & hominibus suo malo edoctus redit in gratiam.

Superioribus annis exarsit in Japonia immanissima persecutio, quæ miros ardores in Christianorum animis excitavit, deditque occasionem pluribus tum domi, tum foris demonstrandi, quanti Christianam fidem facerent, quantoque Deum amore persequerentur; sed an fuerit amor super omnia, an flamma erratica, ignisvè fatuus, aliquorum lapsus dubitandi materiam præbuit: in regno Xigny Judex Tobioye dictus atroci-

non umbraticus.

9.
Ut in multis Japonibus notatum.

trociter in plures defavit, & cum carcere, inedia, & colli dilaceratione funibus recipere attritu paulatim illud defecantibus alijque tormentis per plures hebdomadas repetitis nihil perfecisset, tandem diabolico instinctu liberorum cruciati, & conjugum publicâ denudatione, quod Japonum honestatis amantium moribus intolerandum videbatur, fracti debellati que manus dedere, & fidem Christum que abjurarunt: egerat nimirum in eorum cordibus altiores radices amor liberorum & conjugum, quam Dei, & cum utriusque ad singulare quodammodo certamen inter se commissi fuerunt, prior, ille altero superior fuit: quod tamen non omnibus accidit, non in illo generoso Thomâ, à quo cum conjugem & filium unicum vi avulsos in carcerem ambos coniecissent, & per octo dies variè excruciasent, ipse tamen ad illos animandos ire ad carcerem, cibos, quos manu suâ pararat ad eos deferre, & ad mortem fortiter oppetendam exhortari, & quantum amor Dei super omnia in eius pectore igne excitasset, omnibus palâ facere; sed & alius Petrus nomine conjugis incarcerationis & tormentis per quindecim dies repetitis frangi debellari que non potuit; unde à tyranno solus in exilium abire cogitur, & cum jam ad portum navigium consensu-

rus pervenisset, famulus Judicis illum affectus dixit, censuisse Dominum suum in tuenda fide pertinaciam unius digiti abscissione multandam. Perlubenter, inquit Petrus, digitum que animosius obtulit, quam alter secuerit. Quis non videt duos hosce postremos Athletas domiprius, tum foris in ipso persecutionis æstu fortius dilexisse Deum, quam illi, quorum ob nimium erga liberos & conjuges amorem labefactata constantia est: sed Deo corda scrutanti istorum judicium relinquamus, & in hoc amoris negotio ad summa connitamur, neque actibus qui sub peccato imperantur, contenti simus, sed majoris securitatis gratiâ, ad actus amoris perfectissimos exercendos omnes animi vires, nervosque contendamus.

Dicit fortassis aliquis, me prius de facilitate amoris super omnia disseruisse, & modò asserere, difficile esse judicium ferre an aliquis hujusmodi actum exerceat: non pugnant inter se ista: ut enim, in casu disparato, homini ad consecrandam voluptatem prono, cogitationi obscenâ facile est assensum dare, ita difficile est hominem ab omni Dei offensâ abhorrentem, dum istis fœdis imaginibus oppugnatur, dignoscere an satis firmiter illis obteterit assensum que cohibuerit: ita promptum & in expedito non est homini varijs

12.
Utriusque amoris difficile judicium.

13.
aliquis

10.

10.
Non tamen in Thoma Sapore.

11.
Et Petro.

terum caducarum affectibus implicito discernere, utrum Deum hic & nunc super omnia diligat, quod hic amor præferentiæ, quo unum alteri præferimus, non ab ipsa rei bonitate dependeat, sed ab eius qui diligit affectu, propensione & commodis sæpè ducat originem. Unde fit, ut sicut olim Darij amphoræ, teste Aristotele, ex cupro confectæ, ita colore aurum mentiebantur, ut solo odore, non verò aspectu aut alio iudicio id agnosci posset: ita amor concupiscentiæ, & amor amicitiae, ut sunt ejusdem voluntatis partus, ita etiam similitudine nescio quâ incautos decipiunt, ut dum aliquis Deum propter se, amari à se iudicat, suæ tamen voluptati, aut utilitati in isto amoris actu deseruiat, opusque sit majori lumine & experientiâ, ut de hoc puncto sapienter sapientiam ferat.

CAPUT XL

Præter amorem Dei super omnia, qui præcipitur, & quem propterea obligationis dicimus, datur alius dignior & perfectior, qui perfectionis dicitur, ad quem aspirare debemus.

I.
Amor Dei
duplex.

Omnino suadendum est, ut omnes ad hunc perfectio-

rem amoris gradum aspirent. Hinc enim duo nobis emolumenta proveniunt. i. major de implementatione præcepti amoris super omnia certitudo atque securitas; si enim excellentiorem amoris gradum attingere nitimur, de inferiori securi sumus: sicut qui duodecim pedum longitudinem saliendo conatur evincere, facile decem pedes saltu superat; ita in hoc nostro casu contingit. Secundò meliore multò conditione pugnamus cum dæmone; si enim in ijs quæ perfectionis sunt, & extra peccati gravioris periculum constituta, superior evadat, hoc solum assequitur, ut à majori bono nos impediatur; cum verò suis artibus hoc extorquet, ut amorem Dei, ad quem præcepto obligamur, negligamus, victoriam Deo injuriosam & nobis exitialem, quia cum gravi offensa conjunctam reportat. Hinc monebat ex antiquis eremi incolis unus aliquis, ne ad limbum aut fossæ marginem iter faciamus, sed inde pedes aliquot remotiùs, ne à malevolo parvâ successione in fossam demur præcipites, sed ubi in id ille incumbit, clamando alicuius accurrētis subsidio juvari possimus: ad eum modum, dum in amoris perfectioris studio strenuam navamus operam, à peccati gravioris gurgite, & amicitiae divinæ violandæ periculo longius absumus.

Videa-

2.
Quam di-
verſas.

Videamus nunc quid discrimi-
nis interſit inter illum amorem,
quē diximus obligationis, & hunc,
quem Perfectionis appellamus.
Amor ille, qui obligationis dicitur,
angultis ſe terminis continet
atque hoc unum ſpectat, ut gratiā
Dei non excidat, amicitiam non
reſcindat, cavetque ut cum Deo
malè ſibi non ſit, licet non ſit
quā optimè: ut verò quæ Deo
impensè placent, curet intentius,
utque augendę divinæ glorię pro-
virili ſtudeat, induci non poteſt:
oblectatiunculis, quantum ſine
gravi offenſione fieri poteſt, hinc
inde carpendis ſtudium & operam
adhibet: & ſi interdum in iſtis
levem offenſam contrahat, modò
amicitiam Dei non omnino ab-
rumpat, parum commovetur. At
verò amor ille, quem Perfectionis
appellamus, non ſolùm ad culpa-
ræ mortalis nomen perhorreſcit,
ſed etiam à levioribus peccatis,
quantum infirmitas humana pati-
tur, ſeſe abſtinet, omnia quæ Deo
diſplacent, abs ſe abdicat & rejicit;
quæ verò placita novit, magnā
animi contentione exequitur, ad
divinæ gloriæ amplificationem cu-
ras omnes conatuſque convertit:
quidquid hanc vel majorem cum
Deo conjunctionem impedit, pro-
virili amoliri, & diſturbare cona-
tur: vult quæ Deus vult, & mini-
ma divinæ voluntatis ſignificatio
plus apud illum habet pōderis plus

ſtimuli atque incitamenti, quā bono-
rum omnium in hac vita ipſiuf-
que cæli poſſeſſio. Denique tanta
eſt inter duos amores differentia,
quantum lucernæ lumen diſtat à
ſole, aut carbo malè accenſus ab
igne maximo & ardentiffimo. Hu-
ius rei prima potiſſimaque ratio
petenda eſt à divinæ naturæ præ-
ſtantia; quæ cum ſpatio intermi-
nabili res omnes creatas poſt ſe re-
linquat, & magis ac magis amari
poſſit ſine termino, hinc ingens
campus aperitur, quo novis ſem-
per incrementis amor pectoris
humani propius ac propius ad ma-
jorem cum Deo conjunctionem
poſſit aſſurgere: nunquam illum
tantum amaturus & poſſeſſurus,
quantum amari poteſt atque poſ-
ſideri.

3.
Quæ di-
ſtinctionis
ratio.

Inter eſt plurimum inter hanc
Dei, & gemmæ alicuius inter ho-
mines poſſeſſionem. Qui enim il-
lam carius emit, aut pluris æſti-
mat, aut amat vehementius, non
ideò illam magis poſſidet, quā
alter qui viliori pretio eam merca-
tus eſt, & in minori æſtimatione
affectuſque illam habet; uterque
enim integrè gemmæ poſſeſſoreſt.
Si verò gemma aliqua præſtantif-
ſima daretur, quæ perfectiſſimam
vim & efficientiam plurimaſque
utilitates complecteretur, quarum
omnium poſſeſſionem pretio nu-
merato non continuo emptor
adiret, ſed pro ratione pretij plu-
res

4.
Simile de
emente
gemma;

res aut pauciores suas faceret; is qui mille ducatos pro illa appenderet, pluribus utilitatibus frueretur, quam qui centum scuta tantummodo pro ea numeraret. Quod si prior ille emptor summam continuis millium florenorum additionibus augere vellet, ut pro ratione pretij de gemma illius effectibus, & commodis magis participaret; quanta inter utriusque emptoris & a gemma istius possessione manantem felicitatem differentia intercederet, ita se res habet, si illum, qui solo amore obligationis contentus est, cum altero, qui ad perfectissimum amorem nititur, conferas.

5.
A liu d
de duobus
eiusdem
Patris liberis.

Hunc enim præ altero majori Deus amore complectitur, & uberioribus longè gratijs ornat, & locupletat. Da mihi duos eiusdem Patris liberos; unum, qui hoc solum agit, & eatenus dumtaxat Patris mandata exequitur quantum satis est, ne amicitia ejus excidat: ceterum ut cum sibi magis conciliet non curat, nec ut eius commodis seruiat, sibi incommodat. Alter verò, ut parenti gratificetur, nihil prætermittit, non vigilijs parcat, non laboribus, non sumptibus: hoc unum habet in votis, hoc mente agit ut quæ Patri gratiora cognoscit, exequatur promptissime: quem, putas, plus diligit Pater? cui plura confert beneficia? quem ampliorum bono-

rum suorum largitione locupletat?

Pone ante oculos mercatores geminos, scrutarium unum qui vilius reculis distrahendis dies totos occupatur, & aliquot terunciorum lucello rem familiarem quotidie augere nititur; ex altera verò parte aspice hominem industriū, qui pretiosarum rerum mercimonijs attendit sedulò, qui que fortuna favente utitur, lucra que diebus singulis facit maxima, & pecuniam multam in arcam congerit; quem ex illis duobus locupletio-rem, quem feliciorē arbitraris? Idem fac judicium de duobus nostris Amatoribus, illum qui intra amoris sub præcepto obligantis limites se continet, & alterum qui perfectō amori assequendo exercendoque totus incumbit; ille exigua merita colligit; hic verò opes illas cælestes maximis quotidie accessionibus exaggerat, & Deo bonorum omnium Oceano propior factus, ex illo haurit incredibiles gratiarum thesauros, ut inter ipsum & illum alterum tantum intersit quantum inter Monarcham opulentissimum & cerdonem vilissimum. Amor ille inferior, quem obligationis diximus præter pauca merita, nihil ferè aliud homini confert, quàm vitam spiritus, & libertatem à servitute peccati: alter verò mirum in modum amantem Deo conciliat, benevolentiam

6.
Aliud de
duobus
mercatori-
bus.

7. Aliud ab Imperatoris in duos milites dispari affectu.

tiam auget, & ad beneficia conferenda vehementer excitat. An non usu venire videmus, ut Imperator aliquis generosum militem, sibi obsequentissimum, & gloriae suae amplificandae cupidissimum pluris faciat; quam alios milites quinquaginta, qui non plus habent vitae & virium, quam ut pedibus recti consistant? Ita saepe contingit ut Deus pluris faciat hominem perfectissimi amoris perstudiosum, quam centum alios, quos inter inferioris amoris, quem obligationis dicunt, limites ignavia & laboris fuga miserè detinet. Cum igitur ex amore illo perfecto plus gloriae Deo, nobis plus gratiae, & ipsa operandi consuetudine plus facilitatis & voluptatis accedat, stimulandus, & excitandus est animus, ut ad istam amoris perfecti possessionem acquirendam, nihil laboris, & industriae praetermittat.

C A P. XII.

Quomodo homo se habeat erga Deum per amorem illum perfectiorem.

1. Perfectio- ris amoris res vestigia

UT in hoc puncto diluoidè procedam, statui Angelicum Doctorem ducem sequi, qui post Philosophum de amore amicitiae

differens dicit, cum, qui hoc perfecto amore alterum complectitur, erga amatum quintupliciter se habere. 1. Vult eum esse & vivere. 2. Vult ei bona. 3. Operatur bona ad ipsum, sive ipsius causa. 4. Convivit ei delectabiliter. 5. Concordat cum ipso, & de iisdem delectatur, & tristatur. Videmus nunc quantum huic doctrinae usus & experientia patrociantur. Habet aliquis singularem amicum in urbe distat commorantem, si inde aliquis veniat, continuo ex illo inquirat, 1. An amicus suus valeat, si apud illum bene se habeant omnia. 2. Si prosperè cedant illi negotia, si apud suos gratia valeat, si honoribus, si Magistratu aliquo auctus sit, si opibus floreat, si opulentam aliquam hereditatem adierit; si omnia secundis ventis fluere intelligit, effertur gaudio, & meliora etiam vovet. 3. Ubi intelligit ipsum operam suam ad aliquid exposcere, id confestim ex animo aggreditur, non laboribus, non discursibus per urbem, non sumptibus parcit, non sollicitandis alijs etiam cum periculo repulsae abstinet, utq; ad negotia amici peragenda sit expeditior, suorum ipse negotiorum cursum interruptit. 4. An non brevi eò venturus sit interrogat, dicitque nihil eius praesentia aspectuque dulcius posse sibi accidere: si venturum intelligit, tum demum gestit laetitia, de

2. 2. q. 25. a. 7. 2. In amico adubrata.

die seiscitur, obviam aliquot ab urbe passibus procedit, in amplexu adventantis irruit, dissuaviatur, domum festinus deducit, omni, quo potest, apparatu excipit, convivia instruit aliosque propinquos, ut in communicationem lætitiæ veniant, invitat, omnes exhilarandi amici vias excogitat, fabulis dies conterit, familiæ suæ negotiorumque statum aperit, omnia illi offert, & suarum opum velut dominum constituit: apud se quam diutissime potest, retinere adlaborat; invitissimè tandem à se muneribus donatum dimittit. 5. Denique mira est inter utrumque judiciorum voluntatumque consensio, mira in idem conspiratio, ut unus animus in duobus corporibus habitare videatur.

3. Hujusmodi amicos probant, & laudibus efferunt homines; quia tamen plerique mortalium amicitias suas utilitate aut voluptate metiuntur, idcirco rariores sunt: At illa quæ nos Deo conjungit amicitia, ut sincerissima, & detaxatissima, ita ab omni commodo proprio remota est quam longissimè, & in illa ipsidem passibus & gradibus procedamus oportet, quos supra quinario numero comprehendimus: 1. Velimus illum esse, & vivere, & de tot bonorum tranquilla æternaque possessione, congratulemur. 2. Velimus illi bona, hoc est divinæ gloriæ amplifi-

cationem, quam nullius boni e-gens in bonis tamen suis numerat. 3. In hoc gloriæ augmento procurando, labores, opes, vitamque ipsam impendamus. 4. Versemur cum illo per lubenter, & exercitationibus mentis, quæ cum illo nos conjungunt, consuescimus. 5. Denique nos ad eius voluntatem penitus conformemus, & quæ ei placita sunt, lubentes sequamur. Hæc omnia in Paulo Apostolo perfectissimi amoris exemplari luculentis expressa vestigijs relegamus. 1. Admirantis & congratulantis animi sunt illa verba; *O altitudo divitiarum, & scientiæ Dei.* 2. Optantis bona sunt ista; *Regi sæculorum immortalis, & invisibili soli Deo honor & gloria.* 3. Operantis bona amici, gratiæ sunt verba longam laborum seriem complexa, quos ipse propagandæ divinæ gloriæ gratiæ generosè multas inter gentes exantlavit: *in laboribus plurimis, &c.* Cumque omnes eius Epistolæ sint velut amoris perfectissimi codicilli, has sparsim amoris conditiones complectuntur. 4. Quam verò cum Deo delectabiliter conversabatur, cum dicebat: *Nostra autem conversatio in caelis est*: cum in itineribus Christum semper sibi præsentem habebat, & cum illo per elevationem mentis & orationem agebat familiariter. *Sine intermissione orantem.* 5. Con-sensionem, conspirationem voluntatum

4.
A S. Pau-
lo.

tatum quis requirat in amico, qui animam ipsam cum amico non tam commutasse quàm transformasse videtur: *Vivo ego*, inquit, *jam non ego, vivit verò in me Christus.*

5.
A Sancto
Francisco
Xaverio.

Age ijsdem vestigijs Heroicum S. Francisci Xaverij erga Deum amorem consecemur. 1. Quantum ille Deo beatum illud esse & vivere, omni bonorum genere cumulatifissimum exoptat, qui cùm in illa contemplatione mentis aciem defigit, tãta voluptate circumfluit, ut illam capere non possit & exclamet, *Satis est Domine, satis est.* 2. Quàm optat Deo bonorum si fieri potest incrementa, qui sui quodammodo oblitus, in id unum omnes curas cogitationesque convertit; qui, dum navis ex Europa in Indiam appellit, id tantum interrogat, an per animarum conversiones aliosque Societatis Jesu conatus fiat aliqua ad Dei gloriam accessio, & dum fieri intelligit, cum lacrymis exclamat: *Est quod amantissimo Domino IESV inde congratulemur.* Quantum pro amplificatione divinæ gloriæ, animarumque salute, quæ duo gratissima Deo esse sciebat, laborum exhausterit, quot terras peragravit, quod maria navigarit, quot gentes & quàm incultas & barbaras aggressus sit, quot vitæ pericula adierit, quis dicendo percenseat? Huic desiderio Dei sui amantissimi res agendi

& augendi mundus unus non erat satis, non periculorum, laborumque ilias, quin potiùs voces istæ non semel ex ejus æstuanti pectore erumpentes audiebantur, *Amplius, amplius.* 4. Quam verè cum Deo consuetudinem familiaritatemque coluerit, & dies hominibus permistus ac noctes ab illis seiunctus, quàm amicâ cû Deo tractatione consumpserit, testantur illi, qui temporibus istis in aère suspensum, & lumine circumfulgentem conspexere. 5. Quomodo verò idem velle & nolle, qui amicitia est character singularis, cum Deo semper habuerit; id eius vita, id minimus voluntatis divinæ nutus, cui continuò se conformabat, testantur; id illa vox, quam continuò ferè habebat in ore, dilucidè probat: *Deus cordis mei:* quasi cor ipse non haberet, sed quantum quantum est, Deo totum consignasset. Plurimos alios similes Heroës, & amoris perfectissimi antesignanos proferre possem in medium, sed sufficiat unum è nascente Ecclesia, alterum ex adulta jam vel potiùs consenscente produxisse.

CAPUT XIII.

De primo gradu Amoris perfectioris, qui est velle Deo bona quæ possidet.

1.
Deo à nobis nihil boni accedit.

Videri posset fortassis alicui hæc disputatio super vacanea: Deus enim ipse suum bonum est, nec imminutionis capax, nec augmenti, & tamen nullus sit, qui illi de tanta felicitate gratuletur, imò sint qui invident, nihil tamen inde Deo decederet, & quamvis millies per diem magno mentis nisu ardoreque animi homo aliquis Deo bene velit, & de tanta, quam totâ æternitate possidet, bonorum affluentia gaudeat, nulla inde in bonis Deus incrementa accipiet: ut quid ergò, ut Deo gratificetur aliquis, in istis congratulationibus tantum temporis studijque consumere? Qui ita loquantur, Amoris ignorant ingenium & indolem: qui dum amantem cum re amata ita conjungit, ut è duobus unum efficiat, facit etiam ut bonum amici suum existimet, & tantum, vel etiam amplius, de bono amici lætetur, quàm de suo.

2.
Tamen nobis laudandus exemplo Reatorum.

Quid quæso agunt beati illo cives? in quo magis cum incredibili voluptate, potissimum occupantur, quàm ut congratulabundi Deo dicant: *Benedictio, & claritas, & sa-*

pietas, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum. Amen & quid est quod sæpius ingemunt, qui erant, qui est, quàm quod Deo de tanta bonorum affluentia ex eius naturâ promanante lætitiâ hauriant inenarrabilem: eisque contingat, quod aliquando fideli famulo dicendum promisit Iesus Christus, *Intra in gaudium Domini?* Verè intrarunt in gaudium Domini, quia magno illo & interminabili lætitiæ & voluptatis Oceano, quo Deus ipse perfunditur, velut immerfi absorptique in voces congratulationis plenas, laudesque prorumpunt.

Atque hæc amantium Dei inter huiusce vitæ casus adversos familiaris est occupatio, quâ sese recreant reficiuntque, dum ab huius vitæ solitudine, ad illum bonorum omnium fontem properant, & ex illo hauriunt, quò malorum suorum obliviscantur. *Memor fui Dei, & delectatus sum*, aiebat David: sed & sponsa in Canticis amantium exemplar, in quibus præsertim suas delicias collocat, quàm in sponsi pulchritudine, cæterisque eius bonis deprecandis? *Ecce tu pulcher es dilecte mi.* & ille Salomonis Pater, dum canit: *Speciosus formâ præ filiis hominum; diffusa est gratia in labijs tuis.* Quid quærit aliud, quàm illo gratulatorio Epithalamio sponso gratulari, & cum illo

3.
Et proborum in adversis.

de

de gaudiorum incrementis lætari?

4.
Etiam ad-
mirandus.

Qui de Theologia mystica scribunt, admirationem Dei, & laudem congratulationeque inter præcipuas animi altissimè Deum contemplantis occupationes magnè æstimant, & amantem inde alimentum petere flammis suis arbitrantur: *Quis similis tui in fortibus Domine?* inquit ille amantium Coryphæus, *quis similis tui magnificus* &c. Quod sapientissimis Philosophis, ut Epicteto, ignotum nõ fuit, qui ultimos vitæ suæ annos senilesq; spiritus nullibi meliùs quàm in Dei Opt. Max. laudatione cõsumptum iri aiebat: noverat ille, quod postea asseruit S. Bernardus, primam, & maximam contemplationem esse admittationem divinæ Majestatis.

5.
Inde fructus ad hominem redit.

Diceret fortassis aliquis se ratiocinando assequi non posse quomodo hujusmodi congratulationes Deo gratæ acceptæque sint, cum nullum inde fructum ipse capiat, & quidquid voluptatis & utilitatis ex hoc fonte promanat, ad hominem redeat, & in illo permaneat. Atque hoc quidem negari non potest, & Deum quidem nullius egere certum est, multumque hac in parte Potentissimorum Principum esse dissimilem, qui muneribus maximè, laudibus etiam interdum capiuntur: ætati fuerit inter illos aliquis, qui lau-

datorem non pecuniâ, sed solo pecuniæ sono ac tinnitu remuneratus sit, dicens, verborum sonitum metalli sonitu bene compensari. In Deo tamen alia est nobiscum procedendi ratio, qui nihil à nobis præter amorem, amorisque argumenta ac testes requirit, in quibus unum ex probatissimis amicam & sinceram congratulationem esse meritò dixeris. Non animalium sacrificia magnè æstimat; *Non accipiam*, inquit, *de domo tuâ vitulos, neque de gregebus tuis bircos: quoniam mea sunt omnes fera silvarum*: quid ergo gratius tibi offeretur, Deus meus? Sacrificium laudis; inquit: q. d. Date mihi pectus & os plenum congratulationis & laudis: hæc ego inter officia honoris & amoris mihi longè gratissima numerabo. Quasi hominem sic alloqueretur, inquit Augustinus: *Noli laborare quid mihi des, sine labore habeo quod volo*: laudatio enim laboris parum, aut nihil habet. Unde subdit idem Pater: *Securi sumus, non imus in Arabiam tibus querere, non sarcinas avari negotiatoris excutimus, sacrificium laudis à nobis querit Deus*. Laus verò congratulationem, & congratulatio laudem includit.

Pastor ille Evangelicus, ubi ovem perditam, & à se per dumeta, saltusque magno labore questitam tandem reperit, & in humeros elatam domum retulit; quid aliud vici-

6.
Gratulatione petit. Christus in parabola de ove perditâ.

vicinos, vicinasque convocando ab iis postulat, quàm ut cum ipso in communionem lætitiæ veniant, idque animi orisque congratulationibus testatum faciunt, id se ab ipsis amoris & benevolentiae testimonium exposcere: quod si pro unius oviculæ recuperatione repleti vult omnes lætitiâ, & quodammodo sibi universum applaudi; quantò magis gratas esse censebimus de infinitâ bonorum possessione semper & inviolabili congratulationes & applausus? Amoris hæc indoles est, & ingenium amantium, qui se congratulationis terminis non continent; sed amato suo tam benè volunt, ut etiam casibus impossibilibus, & contradictoriis sese implicant, ut alas amoris explicent, & hoc unum curant ut quantum de amati gaudio gaudeant, omnibus palàm faciant.

7. Hoc utcumque declarat, quod S. Augustino tribuitur ardentissimum, sed intricatissimum in terminis votum: *Domine Deus, ita te diligo, ut si Deus essem, & tu Augustinu; vellem sortem inter nos commutare, & ego Augustinus esse, ut tu Deus esses.* In quo apparet quasi cæco impetu voluntatem in amati bonum ferri, neque dare otium intellectui, ut attendat ad ea quæ dicit, & dictorum ac voti impossibilitatem videat: impossibile enim est Deum velle non esse; cum ultimus ipse sit sibi omnium suo-

7.
S. Augustinus,

rum amorum, & desideriorum finis.

Permittendi nihilominus sunt divinis illis Amantibus hujusmodi loquendi excessus, &, ut sic loquar, in lingua amoris familiares idiotismi, in quibus non tam quid fieri possit dispiciunt, quàm ardores ætusque amoris, quantum possunt volunt exprimere. Non improbemus quod ipsi Cælitæ probant. Extat hujus rei argumentum in revelationibus S. Birgittæ mirabile simul & amabile. Hæc agens cum B. Virgine Dei Matre, suumque erga illam amorem quibus poterat verbis aperiens: *Benedicta, inquit, sis tu, & Maria Mater Dei, & benedictus sit idem Deus Filius tuus Jesus Christus, pro omni gaudio, quo me perfudit, ex eo quod Dei Mater ejus sis: ipse idemque novit, quòd Maria filia Joachim est mihi charior, quàm liberi mei, & magis vellem Birgittam filiam Birgeri nunquam fuisse natam, quàm Mariam filiam Joachim non esse pro-*

8. & S. Birgittæ Extrav. c. 63.

genitam, & levius eligerem Birgittam esse in inferno, quàm Mariam filiam Joachim, non esse Matrem Dei in cælo. An putas à B. Virgine hos loquendi excessus fuisse improbatos? minimè verò: promissis, ingentibus remunerata est: sic enim continuò illam affatur: *Filia, scias verò Mariam filiam Joachim futuram tibi utilio-*

rem,

rem, quàm tu Birgitta filia Birgeri sis tibi ipsi, & quòd eadem filia Joachim, quæ est Mater Dei, velit esse pro matre filijs Ulphonis & Birgittæ.

Didicerat (ut arbitror) à matre similes loquendi formulas Carolus primogenitus Birgittæ filius, Deiparæ cliens & amator ardentissimus, quem inter cetera dicere solitum accepimus, si quid deesset Mariæ ad dignitatem matris spectans, libenter se oppetiturum mortem, & inferorum cruciatus toleraturum, ut illa in integram restitueretur. Quam generosam excellentis amoris testificationem ita gratam acceptamque habuit B. Virgo, ut dum cum morte postea ille luctaretur, dæmoni obstiterit ne propius ad lætuli spondam accederet, perfectam de peccatis contritionem illi impetrarit, animam è corpore egredientem sinu suo exceperit, & coram Christi tribunali pro illa perorarit, causamque contra dæmonem evicerit, ac clientem celo intulerit. Quid quòd Beatissima Virgo istidem verborum emphasibus suum erga Beatum Alanum aliosque mortales criminibus obrutos amorem testificetur? Dixit enim aliquando Alano, se tam cupidam fuisse salutis ipsius, tamque studiosam, etiam dum peccatis teneretur implexus, ut Deum pro illo deprecans paratam se diceret etiam

inferorum tormenta perpeti, si falsus ipsius id exigeret, addiditque; se erga singulos peccatores ita affectam esse, ut si Deo ita videretur, omnes totius mundi alteriusque vitæ cruciatus pro cuiusque salute lubentissimè subiret. quæ omnia eò credibiliora mihi videntur, quòd Moylis pro populo Israelitico, & deinde Pauli pro eodem intercessionibus plus aliquid admirabilitatis complecti videntur, dum unus deleri de libro vitæ, alter anathema fieri, ut illi bene sit, optant atque deprecantur. Quibus verbis cum ipsi secum pugnare videantur, ardores animi æstusque, quos patiuntur, inexplicabiles admiramur, & non tam quid dicant, quàm quid dicere velint, attendamus.

Sit ergo primus amoris perfectissimi gradus, gaudium de bonis Dei, & de tantæ felicitatis possessione amantissima & indefessa congratulatio, quæ ita illi omnia salva, & inconcussa esse velimus, ut si de infinita illa bonorum noverie per impossibile aliquid deperiret, quantumcumque exiguum, id nos omnium bonorum nostrorum jacturâ, & malorum perfectione illi vellemus restitutum.

9.
Et filij
eius Ca-
reli.

10.
Et B. V.
pro pec-
cator.

CAPUT XIV.

De secundo gradu Amoris
perfecti, quo bonum ali-
quod Deo volumus ex-
trinsecus adveniens.

I.
I. etatur
Deus bo-
nis actio-
nibus.

DE duobus bonis, Voluptate
scilicet, & Gloria, questio esse
potest: cum enim Deus sit ipse Vo-
luptatis & Gloriae immensus &
interminabilis Oceanus, nec ab
ullo aliquid emendicet, & quid-
quid alicui Voluptatem & Gloriae
patere potest, hoc ab ipso tanquam
a primo omnium bonorum fonte
derivetur; quis aquae guttulam
fonti perenni, aut lucis radium so-
li in amoris sui argumentum affe-
rendum sibi arbitrabitur? Vera
sunt ista: verum tamen etiam est,
Deum plus voluptatis capere ex
actionibus nostris cum virtute
conjunctis, quam ex hominis ali-
cujus ignavia atque socordia, &
operibus vitio contaminatis. In
sacris paginis, sanctisque Patribus
nihil frequentius occurrit, quam
Deum mandatorum suorum exe-
cutionem cum voluptate intueri,
hominumque pro gloriae suae pro-
pagatione heroicis conatus liben-
ter inspicere, de ijs gaudere, &
exultare. Sophonias Propheta,
postquam dixit: *Reliquia Israel non
facient iniquitatem, nec loquentur*

Sophon. 3.

*mendacium. aliaque addidit; tum
subjungit: Dominus Deus tuus in
medio tui fortis, ipse salvabit: gaude-
bit super te in latitibus, silebit in dilectio-
ne tua, & exultabit super te in laude.
Quod si recessus ab iniquitate &
mendacio Deo latandi & exultan-
di materiam praebeat, quanto ma-
jore dabit fortissimi alicuius mar-
tyris in catasta, aut ad bestias, me-
diasve inter flammis depugnantis
aspectus? Animavit se hac cogita-
tione unus e septem pueris Ma-
chabeis, dum medios inter crucia-
tus ita loquitur: Dominus Deus assi-
cist veritatem, & consolabitur in no-
bis. Sic dicitur ab Isaia Deus apo-
riari, hoc est angere, & contristari,
quod hominem non reperiat, qui
murum pro domo Dei se consti-
tuat, aut malis populi remedium
aliquod conetur adferre: dubio
procul si quis eiusmodi vir illi oc-
currisset, non parvo inde gaudio
fuisset affectus: Et vidit quia non est
vir, & aporiatus est, quia non est qui
occurrat.*

2. Machab.
cap. 9.

Quid quod Deus eam, quam
de hominibus fortissimis eorum-
que gestis concipit latitiam, non
contineat intra se; sed eam, quan-
do se dat occasio, verbis indicet
alijque prodat argumentis? Dæ-
moni in consessu Angelorum com-
parenti dixit: *Nunquid considerasti
servum meum Iob, quod non sit ei simi-
lis in terra, homo simplex & rectus, &
timens Deum, & recedens a malo? q. d.
Ego*

2.
Et laci-
tiam te-
stantur.

Iob. 1.

Ego ex eius consideratione, virtutumque, quæ in illo refulgent, aspectu, voluptatem capio; an non tu etiam saltem ex earum intuitu in admirationem raperis?

Cum audis S. Paulum exclamantem: *Facti sumus spectaculum mundo, Angelis, & hominibus*: ne putes ab hoc theatro spectaculoque Deum excludi: id enim Apostolum istis verbis significare arbitrator; ut sicut istis temporibus, qui certabant in Amphitheatris, spectatorum oculis, & voluptati serviebant, ita Christianos ex una parte fidei hostibus dum acerba patiuntur, dare se oblectandi materiam, Angelis verò, Deoque Angelorum hominumque Regi, dum fortiter agunt illo virtutum suarum aspectu & præstantiâ plurimum recreationis & lætitiæ continenter adferre. Quod bene advertit S. Cyprianus, qui suâ ad Martyres exhortatione hoc stimulo præsertim utitur, ut meminerint se habere Deum spectatorem, qui magna cum voluptate eos cum patientia inter tormenta versari conspiciat. Quin & S. Ambrosius S. Eusebium præconis vocis exornat hoc uno præcipuè titulo, quod ita inter tormèta segeserit, ut dignus fuerit, qui ab Angelis cum voluptate conspiceretur.

Theatrum nostrum & spectatores primariæ dignitatis omnes

esse in cælo ait S. Chrysostomus, ut inde incalcescant ad bene agendum animi, & tantos spectatores heroicis actionibus delectemus.

Quorsum, inquit S. Augustinus, Christus in ultima illa, quam habuit cum Discipulis in coenaculo, sermocinatione ita loquitur: *Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit. Quid est, gaudium eius esse in vobis, nisi quod dignetur gaudere de nobis*. Verò rem admirabilem, quod Deus ex malè culto actionum nostrorum hortulo dignetur flosculum aliquem decerpere, cuius odore delectetur: quanta hinc homini suppetit materies frequenter per diem tam benigno amatori gratificandi? Quid est quod S. Paulus Corinthios suos & nos in illis tam seridè admonet:

Nolite contristare Spiritum sanctum? non quod hic tristitiæ capax sit; sed quia vult nos ab illis actionibus abstinere, quæ mœrore possunt Spiritum sanctum afficere, si mœror in illū cadere posset: gaudet ergo de bonis nostris, & in nobis reperit unde contristetur, hincque magnus amatori campus aperitur consecrandi omnia, quæ Deo lætitiæ materiam præbent, & omnia magno conatu fugiendi, quæ tristitiæ qualiscumque ansam subministrant. Quis non videt Deum, qui secundum Prophetam lætatur in omnibus operibus suis, illis inquam quæ magnificè

3.
Cum voluptate spectat nos bene agentes,

4.
Tristatur malis.

in prima mundi creatione est operatus, quando Sapiencia, quæ erat cum illo cuncta componens, *erat ludens cor am eo*, hoc est, ut Hebræa sonant, *ridens vel gaudens*, eò majorem haurire voluptatem ex nobilioribus actionibus, quas sublimioribus auxilijs gratiæ ipse in homine & cum homine diebus singulis designat & exequitur? Ex horto, quem plantavit, & quem continenter irrigat, fructus ille colligit accepissimos; unde videmus illum in Cantica cum sponsa in horto isto versari suavissimè, ibi videre an vineæ floruerint, an mandragoræ dent odorem suum, an mala punica maturuerint, an myrrha & aloe cæteraque aromata ad messem parata sint; quæ omnia nihil aliud nobis significant, quàm actione virtutum multiplices, quibus ille cælestis animarum sponfus impensè delectatur.

Hæc à me fusiùs enumerata sunt, ut palàm fiat quàm ingens hinc campus Amori perfecto offeratur, in quo eius excurrere possit industria, in quo Deo ejusque gratiæ & voluptari studeat, amicitiaque tam nobili alenda favendaque materiam continuò subministret. Nō exquisita dona quærit amor, sed quæ maximè ad amici gustum delicias faciunt. Hinc videmus eos, qui gratiâ valent apud Principes eamque continuis incrementis magis demereri satagunt, potissi-

5.
Simile ab
aulicis.

mum in Principum propensiones & affectus oculos conijcere, & eò max. studia convertere, quòd Principem magis delectari conspiciunt atq; hoc est quod Amor perfectus in actionibus suis spectat & quo obtento beatum se putat. De quo S. Chrysostomus bene nos omnes monet, ut si sumus affecti, ut Deo placeamus, non aliam quæramus mercedem; si enim aliam quærimus, ostendimus nos ignorare, quantum bonum sit Deo placere. Hinc est quod Perfectus Amator, qui novit officium hominis Christiani in his duobus consistere, *Declina à malo, & fac bonum*; non id facit quomodocumque, sed consilium S. Augustini secutus, dicit sibi: *Hoc malum non faciam ne offendam gaudium Patris, & displiceam oculis eius*. Sic dum bonum agit, nullâ propriæ utilitatis aut voluptatis ratione habitâ, dicit sibi: *Hoc bonum ago, ut delectem suavitatem eius*.

Lib. 2. de
Compunct.

De verbis
Domini.

Apud omnes gentes usu receptum videmus, ut quod Dijs suis judicabant gratius, etsi valde difficile, & non sine ingenti detrimento reperiri posset, id tamen illis offerrent. Hebræi, ut dæmoni gratificarentur, filios suos intra brachia ardentis idoli Moloch ustulandos & suffocandos dabant; imò hoc ipsum honori sibi ducebant, quòd dæmon suos potius, quàm alterius familiæ liberos ad hoc

Aliud à
sacrificijs
idolorum.

hoc immane sacrificium delegif-
fer; tantum inerat miseris Dæmo-
ni placendi desiderium; in quem
etiam finem Rex ipse Manasses
aliquos è filijs suis obtulit. In Ja-
ponia in die solemni, quem Idoli
sui honoribus, & præsertim illi
per urbem sublimi in curru de-
vehendo consecrant, plurimos
ajunt se curru istius rotis sub-
sternere molendos atque prote-
rendos, ut dæmonis gratiam au-
cupentur, quem similibus morti-
bus delectari arbitrantur. Gladi-
atores apud Romanos, ut specta-
torum voluptati uberiores præ-
berent materiam, se fortiter ad
mortem usque pugnatos sacra-
mento obstringebant: quam igitur
ignominiosum est, hominem
Christianum ad amoris Dei per-
fectionem aspirantem non tantum
audere, ut Deo placeat eumque
delectet, quantum impios, ut dæ-
monis placita facerent, varijs tem-
poribus ausos fuisse legimus. Si
tantis doloribus Carnificis oble-
tatio & voluptas emitur, quid
à nobis amantissimi Dei gratia &
placendi studium extorquere de-
beat, in promptu est; nisi veli-
mus ignavia & ignominie notam
incurrere sempiternam.

C A P. XV.

*Amor perfectus abstinet se
ab ijs, quæ displicent aut
etiam minus placent Deo.*

Hæc est Amoris perfecti in-
doles, ut amicitiam cum Deo
colat quàm sanctissimè, & non
tantum omnem cum eo inimici-
tiam perhorrescat; sed etiam of-
fensas minimas devitet, & inter
duo, quæ accepta sunt Deo, id
quod illi magis placet, quantum
potest, eligit. Tam à peccato veni-
ali deliberatè committendo a-
lienus est, quàm alij minus aman-
tes à mortali. Dixi deliberatè, hoc
est, rei momentum, & circum-
stantias actionis inspiciendo pro-
pius, & suis librando ponderibus.
v.g. Vir aliquis amore Dei perfe-
cto, præditus, de litis qualtuofa
amissione, aut gravi honoris ja-
ctura periclitatur; potest si velit
levis culpæ admisione periculum
discutere, non faciet, magna for-
tunatus & honoris detrimenta
incurreret potius, quàm Dei amici-
tiam veniali culpâ deliberatè vio-
let: ne tamen in animum inducas
velim, hominè hujuscemodi na-
vis illis levioribus, & veniâ dignis
nunquam infici: habet ille à pec-
cato Adami contractas aliquas in-
firmitates, habet aberrationes in-

1.
Amor ca-
vet mala
peccata.

2.
Etiam le-
via.

intellectu, habet motus præcipientes in voluntate, inconstantiam in bonis propositis, & in observandis hostis indefessi occultis fraudibus aliquam negligentiam: inde frequenter ab impatientia, cogitationibus otiosis, curiositate & jactantia, iræ commotione, & similibus sordes aliquas contrahit, & quidem voluntarias; quia cum sufficienti cognitione culpæ illæ committuntur, etsi non deliberatè; quia antequam fiant, non satis ad Dei offensi majestatem; ad rei, quæ ad id nos inducit, tenuitatem; ad breve ex culpa commodum attenditur: quò tamen Amor ille divinus majoribus incrementis augetur, eò magis excubat, & velut Argus aliquis luce cælesti collustrante, ita super omnes animi facultates vigilat, ut nefas sit ullam sine suo imperio vel minimum commoveri. *Videndo adheret, & adherendo videt*, inquit S. Bernardus. Anno hujus sæculi 25. obiit Romæ magnâ sanctitatis opinione apud superstites relictâ Joannes Berchmans è Societate Jesu, cumque famam illam vulgari audisset Cardinalis Bellarminus, alterum ex eadem Societate rogavit, quâ ille viâ tantam de se opinionem concitasset. Respondit ille, inter cætera hoc notatû, quòd nunquam deliberatè Deum offendisset venialiter. Tantumnè hoc est? ait Cardinalis, ego jam tot

annos in vivis ago, & nunquam memini, ita Deo mihi opem ferente, me venialem culpam deliberatè admisisse: ita scilicet divinus amor in Cardinalis pectore regnabat, & totis octoginta annis, quos vixerat ita frænum omnibus animi facultatibus injecerat, ut rationis imperium aliquando quidem voluntarijs motibus, sed deliberatis nunquam infringere. Progreditur ulterius divinus ille Amor, dum perfectionis, qua de agimus, gradum in corde humano attingit, ut è pluribus quæ occurrunt, eligat semper, quod Deo gratius esse judicat; cum enim hoc habeat in votis, ut Deo placeat quàm maximè, indignè se cum sponso suo agere arbitrareretur, si quod illi magis est in delicijs & amoribus, omni studio non consecraretur. Aspice mecum Cardinalem Borromæum ex divinis illis amantibus facilè Principem, & vide quam in hoc proposito sectandi Deo gratiora firmitatem animi constantiamque tenuerit. Rogant illû, ut hyemis tempore manus chirothecis armet cõtra frigus; ut id faciat, etsi fissuris & adustis tuberculis graviter lædatur, adduci nunquam potest: nempe quia id Deo acceptius esse judicat. Conantur illum dimovere de sententia nõ audiendi; narratiunculas de publicis rebus per manus hominum volitare solitas; & hoc

4.
Facit quod
Deo gratius.

5.
Exemplum
S. Caroli
Borromæi.

Sup. Cam.

3.
Exemplum
Joannis
Berchmanni.

argumento utuntur, quod Episcopum expediat in rerum etiam, quæ in vicinis Regnis & Provincijs geruntur, ad melius sustinendam dignitatem pastorem variâ cognitione esse versatum: non potest persuaderi, quod contrarium Deo placere sentiat. Legem sibi tulit nunquam extra utriusq; refectio- nis tempus bibendi; contingit ætate magnis cæli ardoribus gra- viter à siti torqueri, & propter or- ris & linguæ siccitatem vix posse duo verba loqui; perstat nihilo minus in sua sententia; & abstinet se à frigida potu ultrò oblatæ, quia id Deo magis probari existimat.

6.
In dubio.

Sed dicit aliquis rem videri non parum difficilem, discernere semper & omnibus occasionibus per- videre, quid Deo magis placeat, rum etiam viros sanctissimos, & cælesti lumine communiter in a- gendis & eligendis collustratos di- versa de rebus ipsidem aut similibus judicia tulisse videamus. Cellæ solitudinem ita Deo gratam ita si- bi retinendam censebat Abbas Apollo, ut ne quidem ad preces fratris pro asino levando auxilia- tricem manum postulante ex illa unquã egredi voluerit: alter verò non inferioris sanctimoniam, ut neptem miserimè à dæmone de- ceptam, & meretricijs amoribus implicatam ad cellam reduceret; ipse non solum cellæ solitudinem deseruit, sed Eremiticam vestem

cum mercatoris habitu commuta- vit, quod Deo gratum fuisse rei exitus comprobavit. Item unus ex illis senioribus neque ad eorum qui advenerant instantes preces, neque ob festi solemnitatem ad- duci unquam potuit, ut abstinen- tiæ suæ rigorem vel tantillum in- fringeret. Alter rogatu fratrum, qui, ut ab eo instruerentur, con- venerant, vinum, quod ipse sibi ab annis pluribus interdixerat, bibit, & cum fratres veniam peterent importunitatis, quæ illum ad bibē- dum urserant; Nihil, inquit, un- quam molestiæ experior, nisi dum quod collibitum secundum vo- luntatem propriam facio. Addidit alter, simili occasione se duas vir- tutes exercuisse, Abstinentiam, quam animo servarat & Hospita- litatem, quæ charitati fraternæ sese accommodarat. Sexcenta sunt in historijs eiusdem generis: quæ etsi fronte externâ pugnare videantur, in eo tamen conveniunt omnes, quod singuli, id quod Deo magis placeret, operari se crederent. Cum ergo in ambiguo, & accipiti ver- saris, sequere cõsiliū quod Deus ipse Magdalena de Pazzi tradidit.

7.
Cor tolle
ad Deum.

Sursum cor & oculos eleva & à Deo luminis cælestis radium ex- pecte, & tum alterutrum elige so- lo divinæ Majestati placendi in- ductus desiderio.

En præterea geminam tibi lam- padem accendo, quarum lumine amor

8.
Et elige
quod na-
tura ma-
gis adyer-
tatur.

amor ille perfectus juvari se sentit quam plurimum. Primò Euangelico consilio de abnegatione sectanda firmiter insiste, & Deo magis probari existima quod cum cruce Christi plus habere similitudinis judicaveris, v. g. deliberat aliquis hortum obambulans, an florem aut fructum decerpat, & oculis naribusque propius admoveat, nò alto sine, quàm ut exaspetu & odore floris, aut fructus ad Deum laudandum anandumque tanquam eius auctorem exciterur; an verò potius abnegationis studio ab utroque manus & sensus abstineat; qui in amoris divini palæstra versati sunt, hoc postremum & perfectius, & Deo longè acceptius esse pronuntiant, & sibi eligendum putant.

9.
Et quod
alteri po-
tius quàm
tibi acci-
det.

Secundò si S. Anselmum, S. Vincentium Ferrariensem, aliarumque hac in parte, placita audis, ubi duo concurrunt eiusdem, ut tibi videtur, bonitatis, id elige quod alteri potius arridet quàm tibi: hæc enim tua submissio, & tui iudicij, voluntatisque sacrificium mirum est quantum augeat tuæ electionis bonitatem, quamque illa hac accessione divinæ Majestati fiat acceptior.

Hic ergò Lapis Lydius esto, ut sæper in omnibus actionibus tuis Deo studeas placere quàm maxime; ad hunc amoris tui perfectionem proba; hinc oculum tuum fi-

ge, huc collinea, tanquam in actionum omnium centrum perfectissimum, & securissimum. Venerant ad famosum illum Arsenium solitudinis lumen aliquot Monachi comitante seniore Monacho, què pro duce assumerant: excepti sunt ab Arsenio, ut solebat, graviter & vultu ad austeritatem potius quàm benignitatem composito, ac præmissâ oratione post aliquam piam lectionem repetitis iterum precibus silentio sunt dimissi. Adierunt alterum ex illis Eremitarum luminibus Moysen, qui illis hilariter & magnâ oris, totiusque corporis alacritate complexus, post factas ad Deum preces, non tantum piâ & jucundâ de Deo & virtutibus fermocinatione recreavit, sed cibo etiam & omnibus quæ cella solitudoque subministrare poterant alimentis refecit, ac repetitâ deinde supplicatione magna cum benevolentia remisit. In itinere rogavit cæteros senior ille, qui illis dux fuerat, quid de duobus istis famosis senibus videretur: cumque omnes Moysen Arsenio longè præferrent, quòd huius severitas à modo agendi humano alienior videretur: cumque inter fabulandum ad oratorium aliquod vacuum pervenissent, rogavit senior, ut simul omnes Deo supplicarent, quem agendi modum Arsenij, an Moysis magis probaret. Cum orarent, ecce vident in Nili alveo pro-

10.
Exemplo
Arsenij.

11.
Et Moysis.

De
lu
ser
gl
co

no cursu descendente navicula, in qua Arsenius solus sedebat, Spiritu sancto in forma columbae humeris eius insistente: ac paulo post ecce aliam naviculam prono alveo cursu eundem tenentem contuentur, in qua Moyses visebatur Angelorum corona circumdatus, qui ipsius ori mel cum voluptate inferebant; ex quo intellexere utrumque in eo quod tenebat vitae instituto, à Deo regi, qui ut gratiarum suarum varietatem & efficaciam ostendat, variisque ad imitandum proponat exempla, non uno omnes vivendi genere ad perfecti amoris culmen evchit, & extollit.

CAPUT XVI.

Secundum Bonum, extrinsecum, quod vult Deo Amor perfectus, nempe major eius gloria.

I. Dei voluptas semper gloriae conjuncta.

Non semper Monarche in hoc inferiori mundo ita voluptates sectantur, ut honestatem non deserant; saepe vilibus & cum dedecore conjunctis delectationibus afficiuntur: at in Deo voluptas & gloria semper copulantur; nulla re delectatur Deus quae non sit illi perhonorifica & gloriosa, & sicut ante omnia in operibus suis

majori suae gloriae velificatur, ita id illi maxime gratum est, quod isti fini de servit: & quamvis homo in suis actionibus unum ab altero mente se jungat, & quod Deo acceptius est, ita intendat, ut de majorieus gloria non cogitet, apud Deum tamen inseparabili nexu sese comitantur, & mutuo adminiculantur.

Gloria Dei est cognitio perfectionum eius cum aestimatione & laude: quam cognitionem cum habeat de se Deus perfectissimam, ita etiam se aestimat & laudat infinite; unde fit, ut maxima Dei gloria in Deo sit, fueritque semper, nullat sui per totam aeternitatem mutatione, aut imminutione. Post Deum, in Beatis, qui clara Dei visione praediti infinitam eius praesentiam propius intuentur, eamque summe aestimant, & laudibus, quantum possunt, efferunt, est maxima Dei gloria; unde communi appellatione statum Beatorum gloriam aeternam nominamus, non tantum propter eminentem illam, quam de Deo habent, cognitionem & aestimationem, sed quia in illa etiam felicitatis aeternae possessione, varijs donis ornati, quam sapiens sit Deus, quam potens, quam bonus, quam justus, qui tot illos ornamentis cumulavit, spectatoribus manifestant.

2. Quid Dei gloria ab ipso.

3. A Beatis.

Tertio maxima Dei gloria ab hominibus virtute singulari praeditis

4. A justis.

ANNE
QUIN
COG
LOREN
MUM
VIM

ditis in hac vita solet existere, qui luce divinâ ad magnam Dei cognitionem aestimationemque eventi, eam verbis, factis, & quacumque possunt laborum contentione declarare, amplificare, & propagare conantur.

5. **Quomodo ab iusto provocari possit.** Ex his patet, quibus vijs & officijs amor perfectus, hoc secundum Bonum Deo extrinsecus adveniens, quod in eius gloria consistit, ei velle, desiderare, & procurare possit. Primò si ex illa infinita, quam ipse de se suisque perfectionibus habet, cognitione & aestimatione lætemur, illique gratificemur, & illam optemus in omnium tam immortalium, quam mortalium mentes sine remissione propagari.

2. Si ex illa interminabili, quam Beati Deo offerunt, gloria summam cupiamus voluptatem optemusque novorum Beatorum accessione semper accrescere & totâ æternitate perdurare.

3. Hanc Dei majorem gloriam in nobis ipsis consecrabimur, si animi pulchritudinem excolamus diligenter, si omnes facultates animi & corporis ad virtutum regulam conformemus, si admirabili motuum omnium compositione & velut conventu ita omnium oculos auresque capiamus ut aliquid divinum in nobis agnoscant, unde Deum tanquam auctorem miris laudibus efferant: ut enim

pictæ imaginis excellens pulchritudo & laus ad pictorem ipsum velut auctorem redit; ita hominum animi dum virtutibus & actionibus heroicis ornantur, & poliuntur, alios propius aspicientes ad admirationem, Dei que laudationem provocant, & impellunt. Hinc illa Christi exhortatio: *Sic luceant opera vestra coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.* Præterea sicut liberi à corporis animique dotibus bene instructi, qui bonis moribus, & rerum agendarum gratiâ, ac virtutum & integritatis opinione omnium benevolentiam sibi conciliant, ornamenta sunt Patri, qui tales curâ & disciplinâ formavit; ita dum integritati morum studemus impensius, & in eo proficimus, Deo gloriam & laudem parimus acceptissimam & innocentissimam. Accedit quòd actiones nostræ cum virtute conjunctæ semina sunt gloriose æternitatis, & quò ad excellentiorem perfectionis gradum hic provehuntur, eò ampliori nos in illo caelesti domicilio gloriâ coronabunt, efficientque nos velut Divinitatis specula, in quibus pro magnitudine gloriæ, quam merita nostra nobis attulerunt, Deus eiusque perfectiones majori vel minori claritate resplendeant.

6. **Vir egregius est suæ gentis filia gloria.** Accersivit aliquando Rex Persarum sanctum Epiphanium, ut dæmonem malum infessorem de

filix corpufculo depelleret; quod fecit Epiphanius, qui tum ob hoc factum, aliasque virtutes tantâ admiratione Regem Regiamque univcrsam implevit, ut Rex nescio quam Dei imaginem intueri in terris sibi videretur, & ab Epiphanio retinendus fuerit, ne illum divinis honoribus persequeretur: cumque post decem dies ille in Phœniciam regrederetur, Rex in eius amplexus irruens: Vade, inquit, in pace, gloria Romanorum; fac autem ut nostri quoque memineris, qui sumus in Perfide. Ita virtus propius contrectata nescio quam divinitatis imaginem oculis intuentium repræsentat, non sine ingenti divinæ gloriæ & laudis incremento.

7.
Exempla
Dei glo-
riam cu-
pientium,
voven-
tium.

4. Denique velut in apertum campum erumpens amoris perfecti ardor, orbem universum Dei cognitione, æstimatione, & gloriâ impleri, collustrari, & inclarescere unicè habet in votis. Exclamat cum S. Ignatio: Utinam te Deus meus homines cognoscerent, & amarent! Optat cum S. Dominico in minutas partes discindi, ut Dei gloria propagetur; offert se c. ūs. Teresa ad purgatorij acerbissimos cruciatus ad diem usque iudicij tolerandos, ut vel unica animula scelerum salebris emergens Dei cultui honorique deserviat. Hic magnam meditando, & sanctorum desideriorum

materiam reperit animus amore perfecto æstivans, sed melius est, ut à se semper incipiat, sualque omnes facultates divinæ gloriæ augendæ causâ desiderijs sanctis accendat; ignem hac in parte imitatus, qui primò viciniora depascitur antequam in remotiora vim suam exerat; atque hoc modo mirum est quantum per singula sæcula per viros amoris perfecti flammâ vehementer accensos divinæ gloriæ augmentum accesserit, ad eò ut unus aliquis ex illis exiguo tempore majori Dei gloriâ mortalium animos compleverit, quàm mille alij pluribus sæculis in divino amore tepidi, & in divinæ gloriæ procuracione languidi & oscitantes effecerint. Simeon Salus visus est à Joanne homine sancto precibus suis ruentem orbem sustinere; Sancta Coleta Deum velut furore succensum, & fulmine, quo manum armarat extrema mundo minitantem, precum suarum instantiâ, mitigat & velut exarmat. In B. Margareta Crotonensis gratiam divinum Numen toti parit Italix, & diuturnis bellis crudeliter habitam pace donat optatissimâ. S. Justinianum Patriarcham Venetum, à populi sui cervicibus imminentes calamitates atrocissimas suâ apud Deum intercessione non semel arcere visum produnt historia. Aspirandum nobis est ad eam Amoris

8.
Et publi-
ca mala a-
verten-
tium.

L. 2 sancti

sancti perfectionem, quæ in istis cluxit, Deumque mortalibus conciliavit.

9.
Pauci illi
quidem.

Non est quoddam mihi aliquis obtendat afferatque ex eodem Iustitiano; Perfectionem paucorum esse; non est quoddam idem pronuntiatum S. Basilij auctoritate corroboreret, & quod magis est, ipsius Dei revelatione communitat, qui S. Brigittæ dixit Perfectorum amantium numerum esse perexiguum: non est quoddam etiam Raymundi Lulli documentum è cælo haustum, ut ille ait, pro se alleget, quo dicit, vix è mille unum Dei perfectum amatorem reperiri: audiat potius S. Teresiam suas omnes adhortantem, ut sibi persuadeant, se Deo opitulante, aliquando ad Amoris perfecti culmen evasuras: attendat etiam ad ipsius Teresie voces, quibus profitetur se nemini mortalium in amando Deo quam perfectissimè cedere velle. Inflammet ergo mentem suam unusquisque ardentissimo amoris perfecti obtinendi desiderio, imò ad similem ei, quem in B. Virginis corde, & Apostolorum pectoribus arsisse conspicimus, votis anhelet; nihilque impossibile putet apud Deum, maximè credent, & quam ardentissimè potest, aspiranti.

11.
Desideria
tua erunt
fiores.

Apparuit aliquando S. Gertrudi Christus coronâ ex varijs floribus contextâ in capite redimi-

tus, qui flores singuli singula desideria, quibus exercendis institerat, representabât. Flores erant & non fructus, sed ut illi à calore solis & benignis cæli imbribus in fructus paulatim formantur; idem de nostris desiderijs sperandum est, quæ Deo summopere placent, & tantum sibi gratiæ ac meriti interdum apud illum conciliant; quantum factum fuisset si in opus externum transiissent. De Alphonso Rodrigues Societatis nostræ Religioso legimus, cum se Christo ad inferorum pœnas pro salute cuiusque Mauri in particulari subeundas magnâ animi deliberatione & ardore obtulisset, ex Christo intellexisse, desiderium, votumque istud acceptissimum sibi fuisse, & tantâ in cælo mercede donandum, quantâ compensaretur, si verè omnes æternâ salute beasset. In hanc sententiam B. Virginem S. Birgittæ aliquando arcanum hoc cæleste aperuisse arbitror; Si quis ardens cupiditate Jesu Christi gloriam & amorem propagandi optaret omnium auribus insonare. Jesum Christum esse filium Dei & omni amore dignissimum, atque in hunc finem ageret quod posset, æquè munerandum à Deo esse, ac si reipsâ desiderium suum executioni mandasset.

12.
Heroicum
desiderium.

CAP.

CAPUT XVII.

De Tertio gradu amoris perfecti, in quo bonum amici, quantum potest, procurat.

E Numeravimus quinque gradus sive officia, quibus amicitiam veram amoremque perfectum occupari censuere Philosophus & S. Thomas: de duobus jam disputavimus, de tertio nobis modo agendum est.

I. Voluntas duplex. **Fucata.** **Et solida.** Vulgo dicunt; Inferorum ergastulum plenum esse bonarum voluntatum; sed in scite & insulse; quomodo enim locus omnium malorum & scelerum colluvione refertus, tantum bonum, quantum est voluntas bona, sinu suo complecti potest? Distinguenda igitur est vera voluntas, à fucata, ut sic loquar, velleitate, quam homo tum habere dicitur, cum loquitur secum hoc modo: Vellem quidem hoc agere, vellem ab hoc me abstinere, sed quia difficultas magna pervincenda est, nihil hac in parte aggredi volo, sed omnia potius intentata relinquere. Altera verò, quæ voluntatis nomen meretur, non ita se habet; sed dum illa hominem sollicitat, ita secum ille ratiocinatur: Volo id agere,

volo id declinare; sed quia plus voluntatis habeo, quàm facultatis, idcirco doleo quòd pro voluntate nec illud exequi, nec hoc possim effugere. Prior Inferos replet, non hæc posterior, de quo S. Augustinus hoc habet elogium. *Quid in psal. 57 quid vis, & non potes, Deus factum computat.*

Vidit aliquandò animam ad suppremi Judicis tribunal adductam magnà trepidatione sententiæ fulmen expectantem S. Brigita proquã intercedebat apud Deum. Jacobus, quem fœmina illa egens in corpore piè coluerat, dicebatque: *O Domine miserere, quia voluit, & non potuit, quia infirmitas obsuit, viriumque defectus, quò minus quòd habebat in votis, exequeretur.* Tum Judex ad animam conversus: Vade, inquit, fides tua, & voluntas bona te salvant. Quo audito illa lætitiã exiliens ad instar fulgentis stellæ abiit, Angeliq̃ue astantes, Deo laudis canticum insonuere, dicentes: *Benedictus sis Domine Deus, qui es, qui eras, erisq̃, semper, quia misericordiam tuam non auferis ab ijs, qui sperant in te.* Verùm hîc prudenter discutiendum est, an verè virium defectus, & imbecillitas ab operis aggressione & executione nos impediat, an non potius abjectio quædam animi, & torpor atque segnitie laborisq̃ue fuga nos remoretur. Adijt aliquando D. Annam de Barthelemy sanctimonialis,

2. Hæc coronatur.

3. Sed ne falsò causetur defectum virium.

K. 3. lis,



lis precum subsidium ab illa efflagitans, ut difficultatem aliquam pervinceret, asserens sibi ad id vires non suppetere: dum acquiescens eius desiderio B. Anna, Deo pro illa supplicat; ecce Deum audit respondentem; alteram illam mentiri, vires illi non deesse, sed voluntatem & conatum. Nec dubitem quid simile multis accidere, quos cum ad aliquid pro gloria Dei difficilius capeffendum hortaris, respondent, se non posse; vires tantæ rei pares sibi non esse; hoc est, Nolo cum tantis, quas prævideo in isto ad quod me hortaris, difficultatibus colluctari; malo pacem, quam bellum, & tantillum perfectionis tanti non emo.

4.
Vetus amor est actionis.

Aliter longè se gerit Amor ille Perfectus, omnis oscitantæ & torporis osor, & hostis, qui non labori, non vigilijs parcat, ut in rebus magnis & parvis, tam quotidianis quam rarijs occurrentibus Amati gloriam procuret, quam potest maximam. B. Ægidio cum socijs iter peregrè facienti, occurrunt metentium manipulus, cui aderat herus eos ad strenuè laborandum urgens his verbis: Facite, Facite, & linguæ ac verbis parcite, sed manus & brachia strenuè exercete. Tum Ægidius ad socios suos conversus: Audistis, inquit, fratres istum Patrem familiars; sequamur eius consilium, & verbis omissis nos ad laborem pro Dei gloriâ viriliter accingamus.

Non expectemus dum magnorum operum se det occasio, in exiguis amoris nostri alacritatem probemus: In parvis, inquit S. Hieronymus, idem animus ostenditur; ut enim Creatorem non in cælo tantum miramur, & terrâ, Sole, & Oceano, Elephantis, Camelis, equis, bubus, pardis, ursis, leonibus: sed in minutis quoque animalibus, formicâ, culice, muscu, vermiculû, & istiusmodi genere, quorum magis scimus corpora, quam nomina, eandemq; in cunctis veneramur solertiam, ita mens Christo dedita, equè & in majoribus, & in minoribus intenta est.

5.
Etiam in parvis.
In Epitaphio Nepotiani.

Monitum grave è Carmelitana in cælum receptâ, consodali datum magnifacere nos oportet, ut amoris nostri in Deum fidem in parvis operibus rectè obeundis testatam faciamus: Si, aiebat, videret homo, quantum ex oscitantia damnum incurrat, tantum inde doloris conciperet, ut vitæ filium dolendo abrumperet. Res omnes creatæ, qualescumque parvæ & magnæ, sunt velut præcones Sapientiæ & Potentiæ Dei, ita & Amantis perfecti omnes actiones; fitque hoc modo quod S. Augustinus à suis impetrare nititur, dum dicit: Nunc fratres, exhortamur vos, ut laudatur Deus; sed laudate totis rotis, de totis vobis, hoc est, ut non solum lingua vestra, & vox vestra laudet Deum; sed & conscientia vestra, vita vestra, facta vestra: qui non cessat bene

6.
Ob socordia damnum.

Præfatione in Esai. 147

bene vivere, semper laudat Deū. Quāto potiori jure dicemus, eum, qui à perfecto Dei amore non cessat, à Dei etiam laudatione non cessare.

Sed hæc aliquam animi attentionem, & vigilantiam postulant, ut rectè dixerit ille inter Patres Eremitæ celebris Besarion, talem Amantem totum oculum esse oporteret, ut Deum in omnibus rebus creatis, & actionibus semper præsentem intueatur, eiusque augendæ gloriæ semper attendat. Stabat unus ex illis Anachoretis ante actionem aliquanto temporis spatio cogitabundus, & interrogatus quid hoc sibi vellet, respondit, se facere, quod solent sagittarij, qui antequam sagittam emittant, studiosè oculis in scopum collineant. Ita faciunt, quos Amor ille Perfectus suos fecit; putant se Amato deesse, si vel in minimo opere ab eius gloriâ procurandâ & augendâ oculum mentis avertant, sibi que dictum arbitrantur illud Cassiodori: *Quocumque tempore non cogitaveris Deum, puta tempus illud amisisse.* Unde facile colligi potest talis Amantis studio atque vigilantia, quantus gloriæ Deo, & Amanti meritorum cumulus accedat. Si aquæ Tiberis, aiebat B. Egidius, posito ovice, in mare per diem integrum non defluerent, quomodo fluvius intumesceret, & aquas superatissimis in subjacentes agros effun-

deret: ita qui ne minimam quidem diei particulam per negligentiam finit effluere, sed actionibus omnibus perfecti amoris characterem imprimi, quantam apud Deum gratiam colligit, quantam meritorum copiam exaggerat, præ illo qui diem integrum oscitanter tranfigit. Hanc actionum inæqualitatem & disparitatem, quæ reperitur etiam inter illos, qui Christi imitationem profitentur, appositè nobis depingit B. Paulus adductâ in medium differentiâ, quam inter paleam, fœnum, lignum, argentum, aurum, & gemmas subesseprehendimus; quæ cum in exteriori operis cortice non appareat, & ab ardore defœcata charitatis, quæ in corde ac litescit, solique Deo est manifesta, originem ducat, inde meritò persuadere nobis singuli possumus, in supremo illo judicij die perfectos Dei amatores & gloriæ divinæ amplificandæ perquam studiosos operarios multis admirationi futuros, cum è contrâ qui hominum quidem opinione claruerint, sed interiori amoris flammâ apud Deum minus arserint, despiciatissimum futuri sint, & abjectissimi.

Neque his se terminis continet Amor Perfectus; non satis est illi; si hominem ad omnium etiam minimarum actionum perfectionem accendat, ut inde major & amplior existat Dei gloria: sed omnes,

7.
Amans
totus est
oculus,

Psal. 39.

8.
Simile pro
fructu sic
operantis.

9.
Actionum
humana-
rum alia
aurum etc.

10.
Verus A-
mor etiam
alios in-
flamat.

omnes, qui propiùs accedunt, & cum homine isto consuetudinem ineunt, similibus ardoribus inflammat, Dei æstimationem in illis auget, ad minimas actiones exactissimè ad charitatis legem eformandas impellit, & divinæ gloriæ amplificandæ efficit perstudiosos: atque ut ignem in vicina materia ab igne vehementiori produci, & candelam ab alia admota succendi, & alterum veluti solem à sole in crystallo transparente progigni conspiciamus; ita homo amoris perfecti flammis æstuans dum linguam, manum & calamum, ac quidquid possidet, gloriæ divinæ propagandæ impendit, omnes, qui propiùs familiaritatem ineunt, illius amoris perfecti ignibus inflammat. Optabat ex eorum esse numero S. Augustinus, qui sacro illo incendio prope consumptus Deum alloquens aiebat: *Vides in corde meo, quia sic est; æstuat, ut sacrificem tibi famulatum cogitationis, & linguæ meæ.* Nempe hoc unicum ut votorum suorum summum ambiebat ardentissimè, ut totus, velut arbor integra cum folijs & fructibus Deo glorificando impenderetur.

Lib. 2.
Conf. c. 13.

Lib. 1.
Conf. c. 18.

II.
Et hoc in
Dei beneficijs re-
ponit.

Homo ille in amoris sancti palestra exercitus, hunc pro Dei gloria famulatum, hoc indefessum

in illa propaganda studium atque laborem in supremo beneficio reponit, cætera omnia habet despiciatui; si res è voto non succedat, non perturbatur, gnarus à se operam, & diligentiam dumtaxat exigi, Deum sibi rerum eventus reservare: & qui numum aureum pauperi erogare vult, si per errorem, contra voluntatem (quia res agitur in tenebris) argentum tantum dederit, equali donandum à Deo mercede, ac si aureum verè esset elargitus. Neque si hominum exagitur sermonibus, si impetitur dicerijs aut scommatibus, inde vel tantillum commoveatur, honestari se potius censet, quàm despici; militi enim, qui pro Regis sui gloria dimicans luculenta vulnera accipit, ex corûcaticibus plurimū sibi ornamenta accidere existimat. Neque si ingratos experitur, de laboris contentione tantillum idè remittit, quia non hominum venatur gratiam, sed unicum laboris sui finem habet præ oculis, majorem Dei gloriam: imò Deo gratias agit, quòd à periculo fulminantis sententiæ abesse sibi videatur longiùs, quàm Deus humanæ gratiæ sectatoribus non parum infensus dicturus est, in supremo iudicij die: Abite: accepistis mercedem vestram, quam in hominum ore, laudatione & gratiâ collocastis.

Id.
Dicitur
despici.

CAP.

CAPUT XVIII.

*Amor perfectus studet semper
amoris divini flammis ex-
citandis & augendis.*

I.
Veri a-
moris
qualitates
& activi-
tas.

HOc ex S. Dionysio Areopa-
gita discimus, qui Amori dat
motum perpetuum, ferventem,
acutum, nunquam intermissæ aut
declinantis motionis capacem, cõ-
trarijs oppositionibus cedere nef-
cium, ad superiora semper ten-
dentem, ad suum centrum, Deum
ipsum: quod si ad res inferiores
descendat, non ut illis inhæreat, id
agit, sed ut illas ad Deum rapiat &
elevator: in hac vita semper purgat,
quia, semper quod purgetur oc-
currit; semper ascendit, quia non-
dum pervenit ad locum, in quo
totâ aternitate conquiescat: quin
& in ipso cælo, loco ad quietem
designato, sine intermissione ut illa
quatuor S. Ioannis in Apocalypsi
animalia, & Ezechielis ad currum
Dei adjuncti quadrigæ, Deo a-
mando, laudando, & glorificando
occupantur. Neque putes Amo-
rem otiosi, dum illum extrinsecus
aliquid agere non vides: etiam in
somnia, quo nihil otiosius homi-
nes putant, cor sponsæ vigilat, non
ad lucernam, sed ad amoris ardo-
rem & lucem.

Tria sunt quæ in perpetua agi-
tatione versantur, Cor humanum,
Sol, & Ignis. His anorem perfe-
ctum simillimum meritò dixeris:
Cor est principium vitæ naturalis,
ita charitas sive amor perfectus
fons est vitæ spiritualis: si cor læ-
dis, homini vitam eripis; si chari-
tatem graviter vulneras Dei ami-
citiâ, qua spiritus tuus ad æter-
nitatem vivit, continuo extinguis:
omnia corporis membra, omnes
sensus, omnes venæ, & arteriæ cor
ab hostili invasione, quantum pos-
sunt, tuentur; ita & virtutes omnes
pro charitate conservanda con-
trarijs impugnationibus pro viri-
li obstant. Denique quod de
corde cecinit Ausonius; Palpitat
irrequies, vegetum, teres, acre,
calens cor. hoc de amore perfe-
cto suo modo dictum existima.

2.
Tria in
motu per-
petuo,
quarta
amor.

Solem Amoris perfecti emble-
ma pulcherrimum esse arbitror.
Sol, inquit Tullius, dictus est, vel
quia solus ex omnibus sideribus
est tantus, vel quia cum exortus
est, obscuratis cæteris sideribus
solus apparet; addiderim ego, quia
solus est fons luminis, à quo cæ-
tera sidera lumen suum mutuantur.
Hinc etiâ, Assyrij Adad, hoc est so-
lû, illum dixere. Ad hunc modum
Charitas cæteris virtutibus sola
supereminet, eisque nescio quid
lucis & splendoris impertit, qua-
rum proinde forma dicitur, quasi
sine illa, si non difformes, certè de-

3.
Amoris
perfecti
emblemata,
Sol.
De Nat.
32.

M

formata videantur, ac sicut ab eodem Oratore Sol dicitur Dux, Princeps, moderator luminum reliquorum; ita Charitas Regina virtutum nuncupatur: sed quod potissimum ad rem nostram facit, est Solis motus continuus, & nunquam interruptus, quo trecentorum & sexaginta dierum conversione orbem perlustrat universum mirâ efficientiâ, & mortalium commodo ac utilitate: quod Amoris perfecti virtutem semper actuosam egregiè nobis repræsentat.

4.
Orium
legibus
damna-
tum.

Solon Atheniensium Legislator contra otiosos legem tulit, & actionem contra illos intendi permisit, ac solius otij convictum à Judice puniri voluit, unde magna rerum abundantia in Remp. redundavit. Ita in Amoris perfecti regno atque imperio nulli otium aut cessatio permittitur, virtutibus reliquis agendi materiam & velut pensum ille assignat, omnes ad opus strenuè compellit, & vim vigoremque impertitur, milleque modos, ut ingeniosus est, Deum laudandi ac glorificandi, gratificandique excogitat, quibus omnes denique animi, corporisque vires intendit, & applicat.

5.
Amor est
ignis.

Tertia imago Amoris perfecti est ignis, qui nunquam dicit: sufficit, qui semper certis lineis ad cælestem locum subvolat, & hunc

motum retardantia magno semper conatu pervincere nititur; hinc terram motibus aperit, dum vi è cavernis erumpit; hinc nubes non sine fragore diffundit, & sicut ponderis expers est, ita innatâ levitate celerrimè fertur in centrum. Omnia ista amori competere certum est, qui ne tum quidem cum Deum possidet, dicere videtur: Sufficit. Audiamus ea de re S. Bernardum: *Existimo quia nec cum inventus fuerit, cessabitur à quærendo: non pedum passibus, sed desiderijs quaritur Deus. Et utique non extundit sanctum desiderium felix inventio, sed extendit. Nunquid consummatio gaudij, desiderij est consumptio? oleum magis est illi. Erit quidem amor in cælo sine indigentia, & desiderium sine anxietate: sed in hâc vita de amore etiam perfecto dictum existimo, Sine dolore non vivitur in amore: angit semper animam, anxietate tamen, quâ carere nolle, ardens Deum magis amandi cupiditate, conatusque assiduus disturbandi omnia amoris impedimenta, Dei que amantissimi honorem & gloriam per difficultatum omnium prærupta, mortisque ipsius fauces, amplificandi: non amat ille delicias: quinimò ubi cælestium voluptatum abundantia animus circumfluit, continuè exclamat: Sufficit, ut Franciscus Xaverio & Salesio contigisse videmus; ubi verò de subeundis pro amato laboribus agitur,*

6.
Exempla
ferventer
amantiâ.

agitur, ad majores semper & longiores desiderio anhelat rebusque ipsis extenditur. Similem aiebat S. Teresa amorem fonti, quem videmus aquam perenniter effundere, & simul arenulam in fundo fervescere commovere. Ita contingit animæ amanti; semper in motu est, & novis ardoribus rapitur ad nova pro amato excogitanda & agenda. Nunc cælo empyreo, ubi Deus summis laudibus continuò effertur; nunc similis aviculæ optat esse, quæ totum orbem circumvolit, amoris & laudis canicum ubique insonet, quod erat B. Magdalena de Pazzi votum, nunc cum S. Augustino ad instar candelæ ex aromatibus compositæ, quæ referendis Deo gratijs, & laudationibus ac honoribus ingeminandis lentè consumatur; nunc cum S. Gertrude, optanti amoris ardore colliquefcere, & ad instar liquoris odoriferi ad pedes Christi irrorandos, effundique. Aliquibus tamen Amantibus huiusmodi desideria non faciunt satis: hinc velut clausis oculis in omnium malorum voraginem & coluviem abeunt præcipites, ut Amantii gloriæ quantulumcumque augendæ momentum adferant. En tibi flagrantissimæ feminæ illustre exemplar: Maria Ragia pro sponsi amore eiusque promovendâ minutas in partes dissecari, atque in his tormentis emori, ac horâ in-

sequenti revocari ad vitam, ut iterum eadem pateretur, optabat, quam alternationem & vicissitudinè tormentorû ad diem usque iudicij supremû, quò per horas singulis repetitis cruciatibus cõficeretur desiderabat tantis incendijs quibus animus illi estuabat, nò una mors, non unica sectio, non unius diei aut mensis supplicium, sed multorum annorum & sæculorum carnificina, pro nutrimento quærebatur.

Alteram accipe æquè vel magis amoris sancti ardoribus conflagrantem Catharinam Bononiam (cujus corpus etiamnum integrum & incorruptum Bononiæ visitur.) Deus scit, ait illa, qui æstus illos amoris ipsemet in corde meo accendit: me sapius cum lacrymis & suspirijs, & firmâ, comparatæque ad patiendum voluntate illi supplicasse, ut mihi hanc faceret gratiam, si per meam ad inferos relegationem, & condemnationem honori eius gloriæque posset aliquid accedere, mihi ipse locum in profundissimo Inferorum recessu præpararet, in quem ego totius orbis peccatrix max. & abominabilissima recludar, & tanquam incus omnium carnificum malleis exposita, tormenta omnia, quæ fuerunt, sunt, & erunt, meo corpore excipiam: Ego ex cordis intimo affectu, & re consultatâ, verbisque ad trutinam libratis, of-

6.
Singulari
Cathari-
nae Bono-
nicis.

fero me continuo ad has penas subeundas, plus inde capiens voluptatis; quod inferno exhausto nullam amplius inde blasphemam in Deum voces erumpent, & ex tot animarum redemptione, quae Deum aeternis laudibus efferent, quam de mea unius salute.

7. Margareta
Bruxellen-
sis &
Iprensis. Duae ex ordine S. Dominici Sanctimoniales Belgicae, verae sanctitatis scientiam à primis illius Sancti sectatoribus edoctae, utraque Margareta dicta, Bruxellensis una, Iprensis altera, dum amoris perfecti desiderijs vela expandunt & in vastissimum divinae charitatis pelagus provehuntur, paria cum Catharina Bononiensi eloquuntur, nec inveniunt flammis interiora depascentibus levationem, nisi in flammis inferorum pro Dei amore & gloria libenti animo nullo premio proposito tolerandis, imò exoptandis.

8. Sifois. Quid de magno illo Sifoy inter Eremitas incolas omnis sanctitatis prodigio, qui vas electionis Eremitae à Christo est appellatus, in medium proferam? jam ille in Amoris perfecti studio metam attigerat, jam morti proximus, à beatis, qui de caelo visitatum morientem descenderant, ad capeffendam laurum aeternam invitabatur, jam facies eius ad instar solis radijs caelestibus coruscabat, jam cum Beatis illis, quorum princeps erat S. Antonius, qui morienti adstabant,

sermone miscerat, admirabiles sane (ut astantibus qui verba audiebant, nec capiebant, interrogantibus ipse aperuit;) rogabat enim Angelos ad adeundam in caelo paratam haereditatem invitantes, ut aliquantum migrationem è vita differrent, ut poenitentiam ageret; cumque illi nullam ipsum egere poenitentiam responderent: Quomodo accipitis, inquit, cum etiamnum me prima jecisse poenitentiae fundamenta non credam? non poterat ipse obstatum amoris in nova facienda patiendi que pro amato desiderio prorumpentem cohibere nec sibi persuadere poterat, quod Christus ipse jam ratum fixumque esse volebat; dicens: Veniat ad me vas electionis Eremitae aeternam lauream coronandus. Quo dicto anima corpusculo evolans turgurium lumine caelesti, & sua volenti balsamo complexit. Iam ille curriculum absolverat, jam victor metae instabat, cum vix è carceribus evasisse se crederet; adeo verum est quod S. Thomas de amante pronuntiat: *Anima quae amat, operatur magna, & reputat parva; operatur multa, & reputat pauca; operatur diu, & reputat breve.* Unde in illa contingit quod S. Paulo, qui priorum oblitus ad anteriora se extendebat, amore semper novam moliente; & ad instar ignis dum materia suppetit miris semper incrementum.

9. Aman-
ti om-
nia leviter
& parva
videntur.

erementis ad majorem Amati gloriam procurandam magis ac magis incumbente.

10.
Symbolū,

Quod etiam significavit sagitta illa aurea mysteriorum plena S. Gertrudi ostensa unciis tribus armata; quorum primus significabat Animam amore perfecto vulneratam nullis jam rebus affici, solo Deo delectari, ad instar ægri, quem cœpit omnis cibi fastidium. 2. nullum vulneri remedium nullam medicinam aliam exposcere, quàm Amati præsentiam, & arctam cum illo conjunctionem. 3. verò indicabat miram Amoris, & ipsimet amanti incognitam procedendi rationem, per nescio quos motus, raptus, excessusque, & insatiabiles ardores, quibus animam ab omni corporis cura separare videtur, & continuis velut sacrificijs in amici gratiã & gloriam illud consumere.

CAPUT XIX.

Amor Dei perfectus cum voluptate pro amato patitur.

1.
Imperfecti amoris infirmitas.

AMor imperfectus, ut imbecillus est & languidus, mollis & remissus, ita ad contraria & aspera occurrentia angitur, & perturbatur: nondum enim amorem proprium debellavit, qui ad so-

lum nomen Patientiæ aut Tolerantiæ horrore concutitur, & defensionem parat, aut fugam. Si in ignem non magnum neque magnæ efficientiæ lignum viride conjeceris, frequenti afflatu illum juves & accendas oportet, & prope modum fumo te eneas; sed si constantiam tenueris, flammam excitabis, quâ cubiculum illuminabitur, & astantes recreabis: si verò in luculentum ignem jam deficcaram trabem projicis, continuo calore & post paullo flammâ bellissimâ & acceptissimâ perfrueris. Amori perfecto omnia levia sunt: Ama Christum, aiebat S. Hieronymus, & quæ difficilia & aspera reputantur, tibi facillima videbuntur. Si fulgor auri aut argenti, si formæ præstantia & illecebrosa pulchritudo, si venationis voluptas, quæ omnia terræ permixta, gravissimo elemento, quæ proinde non gravare non possunt, sine onere & fatigatione amantur, & suscipiuntur; quid faciet cælestis amor, qui à cælo omnis ponderis experte originem ducens alas quodammodo subministrat, quo omnium difficultatum pedicas vel effugiat, vel non sentiat.

Mirabilem cælestis ignis præstantiam ac efficientiam videmus in illo glorioso Eliæ Prophete cum sacrificulis Baal certamine: ex-

3. Regum 18.

2. Perfecti robur.

M 3 tur

tur illi bos integer pro sacrificio, circumducuntur fossæ & alvei, effunditur in aram & circum aqua tantâ abundantîâ, ut fossæ & alvei redundant: & ecce tibi ad preces Eliæ delapsus ignis victimam, & Altare, saxa que ipsa & aquarum copiam momento ferè devorat, atque consumit: idque tantâ facilitate, & ut sic loquar, voluptate, quantâ canem siti æstuantem cyathum aquâ plenum lambendo celerimè exhaurire conspicimus; id enim vox lambens ut miraculi magnitudinem nobis magis explicet, insinuare legentibus videtur: hîc ego egregio schemate nobis Amor perfecti in superandis rebus adversis firmitatem atque constantiam adumbratam arbitror; quid enim saxa & lapides, quid aquarum inundatio, quàm adversa nobis repræsentant? quibuscum amor perfectus velut in arenam pugnaturus descendit, quæ continuò ita vincit atque profligat, ut quodammodo devorari consumi que videantur: vel potius, ut ignis ille Ægyptiacus, qui Sapientiæ 16. dicitur in aqua plus valuisse, & magis inaruisse; ita amor ille generosus ab ipsis calamitatibus vires & incrementa accipit, & omnium victor se altius tollit in cælum.

3.
Exempla,

Vide Apostolos, ubi illos in die Pentecostes cælestis ignis invasit, quantâ voluptate carceres & fla-

gella patiuntur, quomodo gloriosi & gaudentes à conspectu Concilij redeunt, non illos contumeliâ & plagis affectos, sed honoribus auctos & lauro donatos inde procedere credes. Voluptas, quâ amor perfectus in medijs malis perfunditur, illorum sensum tollere, temporisque durationem ad eò imminuere videtur, ut anni complures pro pauculis horis computentur. Ita Jacobo Rachelem amanti anni quatuordecim pauci videbantur præ amoris magnitudine. Amat S. Bernardus divinam Bonitatem, & post multorum annorum decursus in cœnobio magnas inter austeritates, jejunia, cilicia, vigiliis, aliisque viræ religiosæ labores exactos, & extra cœnobium post innumera pro Dei Ecclesia iuventibus summis Pontificibus confecta itinera, post sæpè repetitas calumnias fortiter toleratas & corpusculum morbis & incommodis confectum, si de tot malis, quid sentiat interrogas; dicet tibi se non tolerasse pondus dici & æstus, sed jugum leve & onus suave; seque laborem non sensisse vel æstimasse, ut vix horam durasse sibi videatur: *ubi enim amor est, labor non est, sed sapor.*

Abraham ille Eremitarum lumen & gloria, cuius vitam ipse beatus Ephrem literis commendavit, quinquaginta annos in severissimo vitæ instituto constantiâ

Serm. 14.

4.
Aliud Abraham Anachoreta.

tiâ admirabili pariq̄ue alacritate exegit, vestis illi sagum, tunicaq̄ue cithicina, supellex tota vasculum permodicum, idem cibo, idē aquæ potandæ deserviens, lectulus palmarum folia intexta & in terram prostrata, vigiliæ propè continuæ fletibus permixtæ, jejunia ad plures dies producta: sed hæc omnia amor ille divinus, quo ardebat, ita parva fecerat, ut quinquaginta annos ad instar dierum paucorum spatium reputaret, rigoremq̄ue omnem, lufum & delicias faceret: In his omnibus, inquit B. Ephrem, aspectus eius erat quasi flos immarcescibilis. De S. Romualdo, & multis alijs paria commemorare possem, qui longissimam vitam continuas inter asperitates, tantâ tamen voluptate ab amore divino promanante traduxerunt, ut eam intuentibus communicarent, & totius oris amabili ac jucundâ compositione non homines, communibus mortalium incommodis expositos, sed Angelos ab omni miseriarum sensu segregatos, & iam cælestibus delicijs perfruentes repræsentarent.

Accedamus nunc ad Martyres, & cum illos in medijs tormentis lætitiâ elatos, & in voces alacritate plenas prorumpentes audimus, id amoris perfectio quo flagrabant, acceptum referamus. Cum Theodosiam octodecim annorum no-

bilissimam Virginem temporibus Diocleriani, dum in conspectu Præsidis Urbani torquetur, audis verbis hujuscemodi illum compellantem: *Euge, Urbane, ex omnibus ferculis, quæ mihi ad prandium parari iussisti, fac ne unico quidem prives.* Amare illam agnosce, quæ cruciatus suos fercula appellat, quibus dilaniata, excoriata, bestijs exposita, in mare conjecta, & tandem securi percussa, amoris & fortitudinis trophæum erexit in terris, & ad cælum triumphans evolavit.

Unde quæso, quàm ab amoris perfecti magnitudine, & eius comite gaudio, inter atrocissima tormenta à beatis Marco & Marcellino manant gloriose hæc voces: *Nunquam tam jucundè epulati sumus, quàm hæc libenter Jesu Christi causâ perferimus, in cuius amore nunc fixi esse cœpimus: utinam tamdiu nos hæc pati sinat, quamdiu hoc corruptibili corpore vestiti erimus!* Dum sanctum Laurentium ignescentis craticulæ conspectu perterrefacere arbitrantur, ille contrâ animosè in tyrannum conjectis oculis: *Miserande, inquit, ego hæc sepe semper optavi.* Sed ne similia nostris temporibus defuisse videantur, videamus an pari generositate, etiam hac ætate sub signis amoris perfecti complures non militent: nolo hîc in medium proferre parentem nostrum Ignatium, qui

Marcus & Marcellinus.

Laurentius.

6. Confessio.

Ignatius.
amore

m. 14.
4.
ud A.
ham
acho.
a.

5.
Martyres.
Theodosia.

ANNE
JUN
COG E
34
Loren d
JUN
V. M

Xaverius.

amore perfecto inflāatus omnium carcerum vincula & catenas unus optat: nolo eius amantissimum filium S. Xaverium, qui inter vastissimas tempestates, & hominum nequissimorum machinamenta, amplificari calamitates, & majorem certaminibus campum aperiri desiderat: nolo sexcentos alios eiusdem fortitudinis athletas adducere: Intuere tantum mecum pugilem illum generosum, flammis tum amoris ferè majoribus, quam quibus foris postea exarsit, & martyrij lauream adeptus est, succensum Patrem Carolum Spinolam, in Epistola ad Patrem Pompilium Lambertingum de Japoniæ cruciatibus scribentem, & hos animi æstuantis impetus mecum admirare. Quando tandem apperet illud tempus tormentorum! ô dies! ô hora! ô momentum! ô mi Pater Pompili, si tantum habet voluptatis vel solâ mortis pro Christo toleratæ cogitatio, quantum secum offerret mors ipsa eius amore obita?

Ioannes à Cruce.

Aspice pariter B. Joannem à Cruce, Carmelitam S. Teresie asseclam, qui ad Christi crucifixi pedes supplex, dum ab illo interrogatur, quam mercedem pro tot laboribus Dei amore susceptis efflagitet: Nihil aliud, ait, quam ut magis despicior, & plura perpetiar pro te, mi Deus. An non has amantis pectoris voces meri-

tò mecum suspicis? Nolo hinc illud familiare Teresie dictum commemorare: *Aut mori, aut pati.* Nolo Magdalene de Pazzi votum purum fel, & nihil mellis, hoc est ingentium pœnarum tolerantiam nullo solatio admittam à Deo deposcentis adferre; recentius amantis simul, & cum voluptate magna patientis exemplar in V. Anna Carmelitana Teresie aluna & socia, Bruxellis defunctarum propono. Nihil illa pro se, nihil pro amicis orationes suas deposcentibus ardētoribus votis à Deo efflagitat, quam ingentium malorum incurfus, cum quadam animi generositate ac firmitate susceptos, tanquam donum inter Dei dona, in hac vita facile princeps: in morbis, quibus conflatur acerbissimis, dicere solita, dolores illos esse invitamenta ad majora toleranda; esse ad instar jentaculi aut merendulæ, quibus majorum cruciatu fames & appetitus protitatur: nullum in hac vita majus homini malum accidere posse, quam nihil pati.

Alterâ amoris simul & patientiæ victimâ intueamur Annam de Beauvois Ursulinam, quæ fratrem suum in cœnobio sub S. Bernardi signis Deo militantem unice rogat, à Deo impetrare conerur, ne ipsa vel momentum sit sine tormento, calumnias sibi esse pro concentu musico, & cum ad eum

locum

*Teresia.**Anna Carmelitana.**Anna de Beauvois Ursulina.*

locum mitteretur, ubi credebatur se habendam despiciat, ait, se ire ad nuptias.

Maria Ogniacensis.

Sed hoc caput Mariæ Ogniacensis claudat admiratio, quæ neminem unquam tantis doloribus excruciatum vidit quin pares pro se optaret, & cum ob sacerdotis ad lectulum orantis preces morbi sui acerbiter minui conspiceret, rogavit illum instantissimè petitione suâ desisteret: tantum illam pariendi desiderium incesserat. Meritò sanè amoris nostri erga Deum frigus accusare nos oportet, qui, quantum possumus, minimum doloris sensum refugimus, & tam operosè levationem quærimus, querelisque adstantium aures oneramus.

CAPUT XX.

Quâ viâ Amor Perfectus Deum magis glorificet, agendo, an patiendo.

I. An agendo, an patiendo magis probetur Amor.

Potest non uno sensu, sed pluribus agitari hæc quæstio. 1. Quæri potest quâ viâ citius homo ad perfecti Amoris culmen evadet, agendo, an patiendo. 2. An majori amore opus sit ad patiendum, quàm ad agendum. 3. An majoris amoris indicium sit, multa pro amico agere, an multum pati. Triplex ille modus eodem

cuneo diffindetur, plurimumque serviet ad quorundam, qui virtutum perfectioni student, meretriciam discutiendam, dum per occasionem morbi vel alterius impedimenti, arcentur à communibus orandi exercitijs, & ut antea juvando ex charitate proximo vacare non possunt. Inde etiam suborietur lux aliqua dissipandis tenebris opportuna, quibus siccitatis, ariditatis & desolationum tempore obruantur nonnulli, dum se viribus animi destitutos & à Deo derelictos, dæmonumque odio atque ludibrio expositos arbitrantur, nec satis intelligunt per illam caliginem plus animi cum divina voluntate conformatione atque consensu demereri apud Deum gratiæ, quàm si in pulcherrimarum actionum sole magna cum voluptate & pace versarentur: auctoritate itaque primò, deinde ratione pro amore patiente rem agamus. Ac ante omnia in Jesum Christum perfectissimi amoris exemplar oculos conijciamus: cernit in illo agere, & pati, & vitæ eius telam admirabili conspiratione universam pertextunt; si rectè tamen animum advertimus totius humani generis redemptionem, quam maximè spectabant Dei consilia, Passioni potius, quàm eius actionibus attribui videbimus. 2. Eligitur à Deo Paulus, velut fax divini amoris, luce sua

2.
Christus utroque probavit, magis patiendo.

3.
Et S. Paulus.

N sua

suâ & calore orbem universum pervagatura; sed quibus potissimum adjumentis id assequetur? Ostendam illi, inquit Christus, quantum oporteat illum pro nomine meo pati; ingens scilicet in subeundis tolerandisque malis a-lacritas, & constantia in admirationem sui contuentium oculos rapier, & ad amoris mei castra sequenda fortiter æquè ac suaviter inducet.

3.
Et S. Petri
doctrina.
1. vers. cap. 4.

3. S. Petrus dum in primis illis Ecclesiæ nascentis temporibus Christianos ad hilariter & fortiter pro Christi fide mala quælibet ferenda adhortatur; Communicantes, inquit, Christi passionibus gaudete, quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est spiritus eius, super vos requiescet: quasi diceret, maximis honoribus Deum à fortiter patientibus affici, in medijs malorum turbinibus firmitatem animi esse indicium inhabitantis in nos spiritus Dei, qui nihil aliud quàm divinus amor & charitas est, qui ut aurum igne, ita rebus adversis maximè probatur, & radios suos exerit.

2. Cor. c. II.

4.
Et S. Jaco-
bi 1.

4. Unde quæso fortissima pro Apostolatu suo argumenta petit S. Paulus? à plurimorum malorum concatenatâ enumeratione, quâ se velut torque ornatum, & inter Dei amicos maximè honestarum, primosque honores adeptum existimat.

tum existimat.

5. Quid sibi vult illud S. Jacobi, *Patientia opus perfectum habet?* nisi per ipsam patientiam probari, ad quem perfectionis gradum evectæ sint virtutes. Quando, quæso, magis triumphat fides, quàm cum turbantur & miscentur omnia, & medios inter turbines atque procellas per subsidium patientiæ firma stat & inconcussa? quando spes præstantior atque illustrior, quàm cum rebus adversis oppugnata, & velut conquassata, adjuvante patientiâ de statu suo ne tantillum quidem dimovetur, dicitque cum Job: *[Etiam si occiderit me, in ipso sperabo? Idem de charitate, castitate, mansuetudine, cæterisque virtutibus, quæ non tam actione celebrantur, quàm dum in aciem cum vitijs contrarijs prodire coguntur, & patiando vincunt.]*

Ignarius Martyr multis virtutum exemplis Antiochenam Ecclesiam illustrat; sed quasi nihil egisset, cum deinde in itinere Romano à militibus pessimè haberetur, tum se incipere Christi esse discipulum gloriatus est, quasi nomen illud in pacifica virtutum exercitiorum exercitatione nondum esset promeritus.

5.
S. Ignatii
supplicia

Hoc argumentum luculentè tractatur à S. Chrysostomo inter experimenta patientiæ in exilium proficiscente, & ad Olympiadem animi

6.
Chrysosto-
mi doctrina
ex Job.

animi sui sensus intimos literis aperiens: inter rationes, quibus patientiæ primas partes in amoris perfecti schola deferendas putat, ea mihi fortissima videtur, quam ex Beati Job depromit historiâ. Cùm Deus vel Angelus aliquis supremus Dei personam gerens in Angelorum confessa Jobum à varijs virtutibus laudaret, & Dei permisso adesset Satan, invenit quod impudenter & improbè in Jobi laudatione carperet & obtrectaret: *Nunquid, ait, Job frustra colit Deum?* quasi illius virtutes essent mercenariæ, & in illis sua potiùs commoda, quàm Dei honorem cultumque spectaret; at verò postquam illum bonis omnibus, imò & libertis spoliavit, & nihilominus in tanta rerum perturbatione Jobi patientiam esset cavillatus, data est illi in corpus eius lævendi potestas; percussitque tum Jobum ulcere pessimo, & triginta morbis acutissimis per membra corporis dispersis mirum in modum ex cruciavit; atque hic demum, ubi illam adamantinam in malis tolerantiam conspexit, pudore suffusus abiit, & ne quidem alicuius impudentis objectionis umbram, quam opponeret, habuit.

Laudabatur ante Bearum Antonium magnum illud solitudinis jubar unus aliquis Religiosus, tanquam virtutibus omnibus excel-

lenter ornatus: voluit huius rei experimentum facere Sanctus senex, & cùm videret ne minimum quidem contemptum ferre posse, aliud de homine iudicium fecit, eumque compellans: Tu quidem frater, ait, similis es ædificio, quod quamvis vestibulum, & anteriorem faciem ornatam habeat, à latronibus tamen per posticum ingredientibus expugnatur, & compilatur.

Rogat Pachomium Theodorus eius discipulus, ut precibus febrim, quâ laborabat, depelleret, renuit ille, & ad patientiam ac voluntatis cum divino beneplacito conformitatem ægotum adhortatus, tandem subjunxit: *Bona quidem est abstinentia, & in oratione perseverantia; maius tamen premium infirmus, cùm patiens est & longanimis, adipiscitur.*

Senex alius à sanctimonix laude percelebris, rogatus, quænam brevior esset ad perfectam virtutum possessionem via: Si, inquit, lacesitus injurijs, & opprobrijs appetitus ferre potueris patienter, & tacere: magna enim hæc res est, & super alia mandata. Idem ferè responsum homini cõpendiosam viam ad apicem charitatis postulanti dedit S. Pater Ignatius: *Pete, inquit, à Deo gratiam multa pro illo patiendi, & brevi perfectus evades.*

Sanctam Tereciam virginem

N 2 in

7.
Et Pachomij.

Et S. Ignatij Loiola.

Terecia.

5.
gnatij
plicia

6.
ryfollo
loctria
Job.

in amoris palæstrâ exercitatissimam in eadem sententia fuisse video, dum patiendi materiam efflagitat, aut si desit, mortem. Quid enim ais virgo Seraphica? cur mortem deprecaris, si dolore tibi carendum est? an non sunt actiones altæ quamplurimæ, quibus sponsi tui gratiam demereri possis? Ita est: sed, ut opinor, nimis delicatam esse charitatem illam arbitrabatur, quæ sponsi careret insignibus, quæ constat ex omnibus dolorum & injuriarum generibus contexta fuisse atque composita; & satis intelligebat ab eodem sponso primas partes deferri passioni, actioni posteriores.

8.
Ex Bonaventura,
Lib. 2. de
prof. Rel.
cap. 37.

S. Bonaventuram eadem duplici auctoritate confirmantem audiamus, qui de hominibus heroicæ patientiæ putat intelligi posse illa verba Deuteronomij 33. *Inundationem maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum,* quia ex crescente amaritudine cujuslibet adversitatis, quasi lacte consolationis hilarescunt: cui subjungit rationem ex S. Gregorio petitam, qua dicit: *Majoris est meriti, adversa patienter tolerare, quam bonis operibus insudare.*

9.
Ipsius
Christi.

Quid luculentius Christi testimonio, quo Sanctam Gestrudem ob somni defectum, & noctes integras vigilando absumptas viribus exhaustam consolatur: *In infinitum,* inquit, *mibi gratius est, dum*

quis infirmus, post consumptas per vigiliam vires, illum virium defectum patienter sustinet, mihiq; offert, quam dum sanus aliquis, qui non ita difficulter vigilat, solidam noctem orationi incubit.

Accersamus etiam de cælo testes, quos in illa æternæ veritatis luce sapientissimos, suspicere merito & audire nos oportet, si vel modica rationis scintilla nobis superest. Erat Henrico Sufoni cum nonnullis jam vitæ sanctis & cælo receptis familiare interdum commercium; apparuit inter alios illi Ekardus, dum viveret à doctrina & sanctitate celebris, quo ipse, dum ageret in terris, usus erat per familiariter, quæq; animi angoribus & scrupulis levarat: ab hoc inquit inter alia, quæ cõpendiosior esset ad eminentem in cælo gloriam via: Magna, inquit alter, cū voluntate Dei cõspiratio, & tranquillitas firmitasque animi in adversis, & erga eos qui nos exagitant, injuriisque afficiunt, singularis benevolentia. Adfuit illi etiam alius Joannes Encurius nomine, jam cælesti gloriâ donatus, & splendore admirabili redimitus: à quo idem quæsit, quæ scilicet hominis occupatio in hac vita Deo gratior, homini ipsi utilior, & tamen molestior: Pati, inquit alter, ob amorem Dei, ipsius Dei absentiam & hominem hoc modo velut à Deo derelictum omni seipsum sui amore exuere: in quo idem

10.
Beatorum
apud Henricum
Sufonem.

idem sita est hominis Deum amatis summa patientia, & sui ipsius abnegatio Deo acceptissima.

11. Catharine Senensis ex Christo. Hanc eandem doctrinam hausit à Christo S. Catharina Senensis, quæ cum & gravissimè impleretur à dæmone, & subsidij gratiâ ad Christum confugisset, ab ipso audivit; omnem eius contra adversarium fortitudinem in crucis amore consistere, nullum aliunde robur, nullum levamen accersendum; in omnibus id maximè eligendum, quod amori proprio adversaretur, & ex ipsis afflictionibus, rebusque maximè contrarijs petendam esse animi tranquillitatem & pacem. Quæ documenta tam altè animo impressit, ut non solum res molestissimas æquo animo ferret, sed eas etiam ad instar famelicæ expeteret avidissimè, easque in delicijs reponeret. Addebat insuper, absque vexationibus & rebus adversis vitam sibi inspidam fore, & permolestam, atque ut pro amore sponsi plura & longiori tempore pati posset, libentissimè se æternæ beatitudinis fruitione ad aliquid tempus esse carituram.

12. Et Ratio. nes. 2. 2. 7. 132. 4. 6. Nunc rationibus è Sancto Thomâ petitis id, quo de agimus, confirmemus: Quo quæso argumento tuum erga aliquem amorem illustriore testatum facies, quam si difficillima quæque eius causâ abforbeas? Quid verò difficilius patitur, an agere? prius certè: quia qui

patitur, rem habet cum fortiori; qui verò agit & aggreditur, invaditque alterum, se altero fortio-rem & viribus superiorem existimat: quis porò non advertit difficilium longè esse certamen inire cum adversario! potentiori, quam cum debiliori?

2. Qui patitur, jam ipse cum molestijs & rebus adversis luctatur, & tristitiam actu oppugnantem perferenscit; qui verò aggreditur, ea ut futura contuetur.

3. Pati importat diuturnitatem temporis, & actum animi fortissimè inharrentis bono; agere verò & aggredi potest aliquis ex subito mentis impulsu, à quo continuo potest, ut lubet, desistere.

4. Actio electionem & delectationem plerumque conjuncta secum trahit, ab inclinatione agentis & vicissitudine promanantem; pati verò, cum ab alterius voluntate & delectu dependeat, à similibus levamentis est remotissimū.

13. Alia Christi ad B. Gertrudem. Animavit S. Gertrudem aliquando Christus rationibus non multum dissimilibus; dum propter morbum affixa lectulo ab illo quæreret; an non magis ad eius faceret laudem & gloriam, si lectulo exiliens assisteret in choro concinendis hymnis cum alijs sanctimonialibus? Minimè, inquit Christus; quia majorem capio voluptatem, dum sponsam ad beneplacitum meum infirmitate corporis

N 3 vclut

velut devinctam retineo, quàm cum illa suæ propensione deserviens aliorum oculos animosque actionum suarum pulchritudine in se convertit.

14.
Et similia
à bestijs.

Hoc ipsum in bestijs ipsis usu venire conspicimus : canis enim ad palum alligatus majori cum molestia vincula illa patitur, quàm, si leporem magnò labore per saltus & dumeta insequens fatigaretur & viribus deficeret : quantà vi in eodem vestigio graduque retinetur equus prælijs assuctus, dum tubam ad certamen evocantem inaudit ; quàm violentè in venatoris pugno sistitur accipiter, qui prætervolantem in aère prædam aspexit ; si hæc animalia huius rei rationem tibi possent reddere, dicerent procul dubio majori virtute ac continentia opus esse, ut sibi imperent in re cum eorum natura pugnante, quàm ut inditam sibi à nativitate propensionem sequantur.

15.
Quis ex
familia
Christi.

Bellissimè dixit aliquis ex Eremi Patribus, eum, qui patienter fert injuriam, eamque facile remittit, è Christi disciplina esse, & plenum eius spiritu : eum verò, qui quietus quidem est, & placabilis, nec injuriam alicui facit, nec ullam etiam pati vult, ex Adami esse familia, eiusque instituta sequi, eum verò, qui alterum facile lædit, & suas ipse injurias persequitur, in Diaboli sectatoribus numerandum.

Adami.

Diaboli.

Ethnici ipsi, etsi fidei Christianæ luce destituti plus aliquid dignitatis & gloriæ in malorum generosa tolerantia, quàm in virtutum actionibus constitutum esse animadverterunt.

Philemon tibicen religionis nostræ hostis infensissimus, non publicis derisionibus, & conjectis in illam ejusque cultores opprobrijs contentus, ad carcerem, in quo detinebatur Apollonius Abbas, quasi furijs actus se contulit, ibi contumeliarum in virum sanctum plaustra evomens, eum impium, impostorem, seductorem, omnium odij & mille mortibus dignum appellat. Ad quæ Apollonius æquo animo serenoque vultu hoc solum respondit : *Misereretur tui Deus, ð homo, ut nihil eorum qua dixisti imputetur tibi ad peccatũ.* Ille hæc humanissimâ compellatione fractus ad pedes viri sancti accidit ac injuriarum veniam petijt, continuoque ad Judicem, qui Apollonium in carcerem conjecerat, se confert, eum crudelitatis arguit, Christianorum innocentiam defendit, tantæque constantiâ Christianorum patronum agit, fidemque illorum atque institutum sanctissimum esse deprædicat, ut judicem in se concitaret, à quo ad mortem damnatus, cum Apollonio pro Christi gloria vitâ posuit. Tantum in hominem vitij coöpertum potuit unius viri patientia.

16.
Sententiæ
exemplum
quam effica-
x.
Palladius
cap. 66.

Verum

17. Verum en tibi in hoc genere
 Aliud mirabile in Abrahama Eremita.
 longè mirabilius omnium sæculo-
 rum memoriâ dignum exemplū,
 quod è S. Ephrem literis com-
 mendatum etiam ab ipso scriptore
 lumen aliquod accepit. Vicus erat
 in Syria pertinacissimis in idolo-
 rum cultu barbaris, & ferocissimis
 refertus. Ad hos Christianâ fide
 imbuendos presbyteri nonnulli,
 compluresque Monachi ab Epif-
 copo missi fuerant; sed contume-
 lijs & verberibus malè excepti ef-
 feratam illam barbariem tanquam
 omnis culturæ incapacem relinqui-
 rant. Episcopus ob tantam duri-
 tiem animi anxius tandem in Aⁿ
 abrahamum senem sanctissimum,
 qui quinquaginta jam annos ma-
 gnâ virtutum exercitatione in so-
 litudine exegerat, oculos conij-
 cit, hunc licet reluctantem pres-
 byterum ordinat, ac truces illos
 barbaros eius curæ diligentiaque
 ad fidem convertendos commit-
 tit. Obedit ille, sed mirum, quan-
 tum injuriarum ab illis pertulerit.
 Cùm quodam tempore sua idola
 ab eo confraeta reperissent, in eum
 velut fera irruunt, verberibus
 contundunt, & dilacerant, & ex
 vico suo abigunt; sed paulò post
 redeuntem, ac magna cum man-
 suetudine admonentem, ut idola
 desererent, Deumque cæli terræ-
 que Dominum agnoscerent, ite-
 rum illi in rabiem ad fustes & ver-
 bera redeunt, prosternunt, pha-

gilque oneratum, fuscæ ad pedes
 alligato tanquam semimortuum,
 & brevi acturum animam, è vico
 protrahunt. Sed illè cùm paulò
 post respirasset, ad vicum regredi-
 tur, & sacellum quod ibi concin-
 narat repetit, ac Psalmos canere
 incipit: accurrit continuò barba-
 rorum colluvies, & attonita, ac
 simul novo furore correpta acer-
 rimis tormentis hominem confice-
 re conantur, iterumque funibus
 extra vicum, ut antea, protrahunt.
 Duravit hoc certamen triennium
 integrum, quo toto tempore san-
 ctus senex nullum impatientiæ,
 nullam iracundiæ, nullum pusilla-
 nimitatis, nullam rædij signum de-
 dit: ipsis cruciatibus velut oleo
 charitas eius magis ac magis accen-
 debatur: admonebatur, blandieba-
 tur, ac delinimentis suavissimi elo-
 quij barbaros demulcebat: cui tan-
 tæ mansuetudini & patientiæ tan-
 dem victas manus illi dederunt:
 coactò enim cœtu de sancta viri
 sancti longanimitate cum admira-
 tione sermonè miscentes dixerunt:
 Nisi verus esset Deus, quem ille
 prædicat, nisi esset regnum & pa-
 radisus & alia quæ ille nobis de-
 nuntiat, nunquam tantam injuria-
 rum congeriem tam constanter &
 & tanto tempore à nobis pertu-
 lisset; sicque se totos illi permi-
 serunt: tanta fuit supra omnia mi-
 racula, cæterasque virtutes vis
 unius patientiæ.

Minu-

18.
Præcla-
rum pa-
tientia in-
dicium.

Minutius Felix in suo Octavio, cum ei obijceretur Christianos pauperes esse, & victimas tormentis cruciatibusque destinatas, se-ctamque nostram calamitatis se-ctam esse, & patientia; id potius illam honestare & ornare pluribus ostendit: Omnes, inquit, vestri viri fortes (paganos alloquitur) quos in exemplum prædicatis, ærumnis suis inclyti floruerunt, vos ipsi calamitosos viros fertis in cælum Mucium Scævola, qui cum errasset in Regem, perisset in hostibus nisi dexteram perdidisset: & quot ex nostris non dexteram solum, sed totum corpus uri, cremarique sine ullis ejulatibus per-tulerunt, cum dimitti haberent in potestate. Quam pulchrū specta-culum Deo, cum Christianus cum dolore congregitur, cum adver-sum minas, & supplicia & tormen-ta componitur, cum strepitum mortis & horrorem carnificis ir-ridens inculcat, cum libertatem suam adversus Reges & Principes erigit, soli Deo, cuius est, cedit; cum triumphator & victor, ipsi qui adversum se sententiam dixit, insultat? Vicit enim, qui quod con-tendit, obtinuit; ex quibus constat, illis etiam temporibus plus Eccle-siam nascentem ab tolerantia lau-dis & ornamentis, quam ab aliarum virtutum exercitatione retulisse.

19.
Simile
Agentis &

Actio à virtute profecta arbori æstiva similis est, quæ frondibus

vestita & fructibus grava in-
tuentium oculos invitat & detinet;
calamitatem verò hyemalis arbor
nobis repræsentat, quæ folijs fru-
ctibusque destituta nihil in se ha-
bet invitamenti aut voluptatis: à
solo Dei amore vires sibi accersit,
& solo illi placendi desiderio ad
difficillima quæque aggredienda
& superanda compellitur; atque
hinc est quòd majorem apud ho-
mines laudem & ampliorem apud
Deum gratiam conciliat.

Insignis ille Brasiliæ Thaumaturgus Iosephus Anchietæ Socie-tate Jesu, cum in illis regionibus Provinciale ageret, in nostrum ordinem Joannem Ferdinandum opificio latonum admisit, his eum verbis compellans: *Ioannes, B. Vir-go jussit te in Filij Societatem admit-terem; tu mihi hanc habe gratiam, ut cum post octiduum in calum receptus fueris, mei memineris.* Ille die inse-quenti in collegium & infirmo-rum cubiculum delatus septimo die, in coronâ fratrum, omnibus Sacramentis munitus, febri extin-ctus est: de quo ad astantes P. Iosephus verba faciens, cum septiduo, quo in Collegio æger jacuerat, ob patientiam, amorem-que Dei inter patiendum arden-tissimum, plus apud Deum meriti collegisse pronuntiavit, quam nonnulli eorum qui aderant, plu-ribus annis suis actionibus quoti-dianis sibi comparassent: primas scilicet

patientia
ductum ab
arbore.

20.
Patientie
fructus in
Joanne
Ferdinan-
do,

scilicet ibi etiam tulit amor patientis.

In Carme-
liana.

Evocatus est aliquando P. Balthazar Alvarez ad Monialem Carmelitanam cum suprema ægritudine colluctantem, ivit ipse licet febrilem tertianam laboraret, & cum ægra ægens, vires illi defecere, vel potius, ut altantium sanctimonialium quædam opinata sunt, mens illi in arcanorum cognitionem quasi à sensibus abalienata, rapta fuit, quod facies eius ad instar Seraphini ardore cælesti succensa testari videbatur: is ergo ad se reversus dixit, Deum illi moniali magnam in celo apparasse gloriam, quæ paullo post potiretur, & octo mensibus, quos cum morbo confluctans patienter exegerat, plus accumulasse meriti, quam nonnullæ aliæ bene sanæ pluribus annis congregassent: ita patientia amori conjuncta & in hac vita cæteris virtutibus quæstuosior est; & in altera apud Iudicem ad coronam & præmium illustrior & fructuosior.

Inviserat idem Pater Balthazar aliquem è nostris Patribus lectulo affixum, quem cum eo nomine plurimum angere videret, quod orationibus, & confessionibus audiendis, & habendis concionibus, alijsque charitatis officijs erga proximum vacare non posset, hæc illi quasi ex Deo hausta asseveranter dixit, Deum plura facere homi-

nem, qui voluntatis divinæ legibus acquiescens patienter morbum tolerat ad mensam integrum, quam si idem ille annum totum varijs erga proximum exercitijs & laboriosis muneribus diligenter impenderet.

Iidem vir ille totam Hispaniam celeberrimus Joannes Davila Sacerdoti morbo laboranti per literas respondit, ne inspiciat, quid agere posset, si sanus esset, sed quomodo in illa sua ægritudine plurimum placere possit Deo: in quo bonorum nostrorum summa consistit: utque jumentum molam versatilem oculis clausis circumagens, & à molæ centro nunquam se junctum; per diem integrum bonæ farinæ plurimum molit, ita patientis animus voluntati divinæ tanquam centro suo per amorem semper inherens mirum quantos faciat in virtute progressus, quantumque mercedis pro altera vita exagget. Unde satis mirari non possum, querulas animas, quæ quasi per morbi occasionem ab omni spe promovendæ Dei gloriæ deciderint, non tam de ægritudine, eiusque incommodis conqueruntur, quam istam jacturam sentire sibi videntur, quasi Deus earum egeret opera, & de utilioribus operarijs providere sibi non posset: vel potius quasi ipsæ pro operarijs preces fundendo, & in eum finem molestias doloresque Deo offerendo,

○

rendo,

21.
Ex mor-
bo.

rendo, plus ad lucrum animarum divinæque gloriæ augmentum momenti adferre non possent, quàm dum in similes querelas abeunt, & à pacificâ morbi tolerantia per inutilia desideria non sine amoris divini dispendio miserabiliter divagantur.

22. Imponamus coronidem huic capiti, magni Salmeronis testimonio; qui hanc objectionem pertractans, An non utilius mortalibus, & ad Dei honorem fuisset illustrius, Christû, diutius inter homines versari, quàm post triginta trium annorum decursum morre defungi, & tam singulare virtutum suarum exemplar hominum oculis subtrahere. Respondet, Christum Dominum in cruce, in tam supremo atque heroico gradu virtutum se omnium exhibuisse exemplar, ut major inde in Deum gloria, & ad nos meriti, & exempli redundarit beneficium, quàm si semper unâ nobiscum vixisset, & nos vitæ exemplo verboque docuisset: præterea Christi charitatem morte tam acerbâ detectam atque manifestatam tanti esse splendoris & efficaciam, ut nulla vitæ etiam longissimæ merita illam æquare possint: denique mortem crucis tantâ patientiâ à Christo toleratam ad vitij fugam virtutisque amorem in nobis excitandum plus attulisse stimuli atque momenti, quàm vitæ illius innocentissima, &

Ex Christi
passione.
Lib. 10.
traç. 3. ad
7. arg.

varijs virtutum luminibus & documentis referta & multis annorum millibus nobiscum traducta adferre potuisset: qui doctissimi hominis sensus ad posteros etiam literis commendatus, quantum ad patientiæ cum charitate conjunctæ supra cæteras virtutes præstantiam faciat, nemo est qui non videt.

C A P. XXI.

De quarto gradu amoris perfecti, quo homo continuo Dei præsentia frui nititur.

Quartum gradum amoris perfecti ab Angelico Doctore assignatum dixi hunc esse, quando amicus amico desiderat convivere, eius delectari conspectu, colloqui recreari, illum quàm potest amicissimè, & ut illi collibitum est, tractare, eumque præsentem omnibus obsequijs officiisque colere, atque demereri; qui gradus ceteris altior est, tresque alios præsupponit, estque amoris genio ac indoli conformior: qui semper majorem cum amico conjunctionem affectat, donec de duobus unum quodammodo inseparabiliter efficiat.

Huius gradus condiciones & officia, ex humanis amicitijs propius

L. Amor
amantem
amato
gi petit.

2.

Exemplū
Iacob eum
Iosepho.

pius inspiciamus. Amat Patriarcha Jacob præ cæteris liberis filium suum Ioseph, hunc ubi audit extinctum, & à ferâ pessimâ devoratum, luget inconsolabilibus lachrymis: audit deinde præter spem à reducibus ex Ægypto filijs illum vivere, totiue regno secundum à Pharaone dominari; ille tum tum quasi de gravi somno: vigilans, cum filiorum verbis prius fidem vix haberet, ubi tamen venerunt in eius conspectum plaustra & universa, quæ Ioseph miserat, revixit in eo spiritus, & ait: *Sufficit mihi si adhuc filius meus Ioseph vivit; vadam & videbo illum antequam moriar.* Itaque unum è plaustris conscendit, filiumque Ioseph obviam egressum amplectitur, tanto perfusus gaudio, ut ei diceret: *Iam lætus moriar, qui vidi faciē tuam, & superstitem te relinquo.*

3.
Ex huius
gradus 2.
effectis
dico.

Deo ad-
hærere &
in illo
conquies-
cere.

2. 2. 4. 9.

4.

Scriptura sacra dum hominis ad hunc quartum amoris gradum evecti munia, rudibus lineamentis adumbrare vult; dicit illum Deum querere, cum Deo ambulare, Deum sequi, illi adhærere, Deum tenere, cum illo manere, de Deo delectari, exultare in Deo, Deum possidere, & ab illo possideri: ex his omnibus duo seligam, quæ ad rem nostrâ maximè facere videntur: Deo scilicet adhærere, & in suavissimâ cum illo communicatione conquiescere.

Doctor Angelicus dum varios

charitatis habitus affectusque distinguit, quorum alij sint incipientium, alij proficientium, alij denique perfectorum: primos dicit in hoc præsertim studium operamque ponere, ut peccatis resistant, quorum impugnatione in charitatis actibus inquietantur; Proficientes verò, qui hanc impugnationem minus sentiunt, jam securiùs ad profectum intendere; Perfectos verò, etiamsi in charitate & ipsi proficiant, non tamen in hoc præcipuam eorum curam studiumque versari, sed ad hoc ferri potissimum, ut Deo, quantum possunt, inhæreant: ad quem gradum eniti vellet omnes, qui se amoris perfecti perstudiosos profitentur; imò eorum, ut appellat, cæcitatem atque stultitiam deplorat, qui semper Deum quærunt, & ad eum suspirant assidue, frequentibus & quotidianis desiderijs ad eum clamant & pulsant, cum ipsi sint templum Dei vivi, & Deus in eis verè habites, eorumque anima sit sedes Dei, in qua ille continuè requiescit. Quis instrumentum aliquod quærit foris, quod scit apud se reconditum? aut quis instrumento aliquo uti potest, quod tanquam absens requirit? aut quis cibo confortatur, quem appetit, & quem sibi ad manum non esse arbitratur? sic, inquit, viri justi Deum semper quærentis, & nunquam illo fruētis vita, actio-

Triplex
charitatis
studium.
Aliud in
incipiente
2. in pro-
ficiēte.
3. in per-
fecto.

Opusculo
De Beati-
tudine c. 3.

Q 2 que

5. que omnis minus perfecta sunt: Fruitio, inquit ibidem, est delectatio proveniens ex conjunctione intellectus & affectus in Deum; huic conjunctioni student illi quam maximè, qui huius quarti gradus perfectionem attingere: hinc illæ prolixæ orationes, & in familiari cum Deo sermocinatione pervigilata noctes, hinc illa mentis quietas admirabilis ex attentione & suavi cum Deo communicatione proveniens, ut nec oculum aperire, nec spuere, nec aliquid corpusculi membrum commovere audeat, ne aliqua particula de fruitione sponsi tam amabili depercat.

6. Hinc sponsa in Canticis sponsum nunc invitat ad secretos hortorum secessus, nunc ad cubile genitricis suæ, ut tanto securius & abundantius sponsi sui delicijs perfruatur. Arsenium interrogavit aliquando Abbas, cur homines fugeret: Absit, inquit ille, ut illos velut exosos fugiam; scit enim Deus, quam illos amem: sed cum Deo & simul cum hominibus versari familiariter non possum: Deum enim & sanctos unius esse voluntatis, & sententiæ reperio, in hominibus magnam iudiciorum affectuumque varietatem atque dissonantiã esse video, quapropter hos fugio, illis verò adherescere conor.

7. Secesserat alter in Eremiti remotiorem ab hominibus solitudinem; forte fortuna eò penetravit

unus alius, & viso altero, cursu ad illum contendit colloquendi gratiã, sed frustra; alter enim concitatiore fugã ab eius se conspectu proripere conabatur: cumque ille ad fugientem inclamaret: Siste, siste, homo Dei, te ego propter Deum convenire volo, & propero: & ego, inquit solitarius, propter Dei amorem te fugio. Ita scilicet uterque senex amantissimam cum Deo communicationem, quam non semel gustarant, hominum interventu dissipari lædique arbitrabantur.

8. Alios verò, quos instituti necessitas, & divinæ gloriæ propagandæ ratio inter medios hominum catus tumultusque retinebat, unicum studium tenuit, ut à rebus sub aspectum cadentibus animos abstraherent, & intimo mentis secessu soli Deo vacarent, & attenderent. S. Bernardus diem integrum ad stagni marginem iter facit, nec locum aut stagnum advertit. S. Thomas, & S. Bonaventura à Rege Ludovico invitati simul prandium sumunt, nec cibos quibus vescuntur, animo ad altiorum contemplationem elevato, discernunt. S. Petrus Alcantara annos complures intra claustra cœnobij versatur nec communes ad Refectorium aliisque loca descensus internofeit, ad eò ut præcœtium vestigijs, ne aberraret, cogere retur infiltrare. B. Aloysius Gonzaga,

8. Alij creaturarum aspectum

Bernardus

Petrus Alcantara

B. Aloysius Gonzaga

zaga, quo in loco in communi cœnaculo sederet superior, et si sæpius jam in illo, & cum illo comedisset, non distinxerat, ab altero id discere debuerit, cum id illi scire incumberet: nec apparatus altaris, ante quod toto matutino tempore preces fuderat, roganti aperire potuit, quod ad illum nec oculos nec animum attendisset. Scilicet in istis heroicis Dei amatoribus regnabat divinus Amor solusque velut triumphator in corde residens reliquas omnes animi corporisque facultates secum ad Deum rapiebat.

9. Aristoteles in problematis causam cur rusticani homines melius viarum recordentur, quas semel obierunt, quam Philosophi, qui sæpius iter illud fecerint, hanc assignat, quod Philosophus animo altioribus cogitationibus occupato ad illa non reflectat, rusticus verò oculis & affectu terræ defixus inhæreat.

10. Idem accidit illis, quos amoris flamma supra res humanas evexit, & ceterarum rerum oblitos in amantissima cum Deo consuetudine suaviter occupatos tenet. Dicunt illi, quod B. Franciscum de Salez solitum dicere legimus: *Quod Deus non est, nihil mihi est.* Falleris si hos à Dei familiaritate complexuque negotiorum multitudine avellere te posse existimas; habent illi interius secessum, in quo cum Deo

deliciantur negotijs omnibus impenetrabilem; uti secretario, quem agendorum moles angebat, respondit S. Antoninus; quemque ut sibi construeret, confessarium suum monebat S. Catharina Senensis. Neque hoc difficile esse Amori arbitratur Hugo de S. Victore, cum Deus ipse hunc amabilem secessum fabricari velit, si non ingreaiatur. Ibi S. Apostolus Paulus tot Ecclesiarum velut in cunis vagientium curâ distentus suavissimè cum Deo suo, sive comedat, sive bibat, sine labore, sive de vita periclitetur, sive cum morte decertet, amore quasi somnum dulcissimum conciliante requiescit. Infantes videmus ita matrum collo ambobus brachijs implexos, ut si unum è brachijs abstraxeris, altero stringant fortius; si utrumque divellere tentaveris, omnibus corpusculi viribus lachrymisque luctentur in contrarium, & ad id juventur à Matribus, quas plurimum amor ille infantilis delectat. Idem accidit homini, quem innocentia vitæ, & ardentior dilectio ad divinos amplexus evexit, si negotiorum multitudo, si hominum importunitas illos conentur abrumpere, adherent illi fortius & perseverantius, nec hominum excidere gratiâ, aut inurbanitatis notam verentur incurere, dummodò Deo suo fruantur, pallij jacturam cum Josepho.

II. Ut infantes matrum amplexibus.

pho perlubenter faciunt, & rerum humanarum commodis fructuque privantur, ut divinæ amicitiae bona, & inexplicabilem voluptatem integram inviolatamque conferrent.

12.
Symbo-
lum amo-
ris a hæ-
rentis ca-
nis.
Curt. lib. 9
Indacus.

Sophis Rex Indorum, ut Alexandro magno, quàm nobiles ad venandum canes aleret, quàm leonibus infestos, quàm in defensione morfuque pertinaces, ostenderet, in conspectu leonem eximiae magnitudinis iussit emitti, & quatuor omnino admoveri canes, qui celeriter occupaverunt feram: tum & ijs qui assueverant talibus ministerijs, unius canis leoni ad hærentis crus avellere, & quia non sequebatur, ferro amputare coepit: nec sic quidem pervicaria victa: rursus aliam partem secare institit, & inde non sequens hærentem, ferro subinde cædebat, ille in vulnere feræ dentes quoque moribundus infixerat. Atque hoc ego emblemate perfecti Amoris constantiam representari mihi existimo; qui ubi semel Deum apprehendit, ita res omnes humanas despiciat, ita infra se positas arbitrat, ut omnes fortunas, vitæque commoda everti dissiparique facillè sinat, dummodo Deo tranquille potiatur; quæ amoris animique magnitudo rerumque despicientia ita Deo placet, ut ingentibus bonis eam etiam in hac vita remuneretur.

Mechtildem ex his amantibus divinitus non ultimam tantâ gratiarum copiâ, deliciarum cælestium affluentiam obruit quodammodo sponsus ille cælestis, ut semimortua è choro efferi debuërit.

13.
Exempla
amantium
amato ad-
hærentium.

Beata Angela Folignia post diuturna certamina, cruceisque acerbissimas, ad divinos tandem admissa complexus, tot redundavit voluptatum omnium torrentibus, ut si omnes omnium hominum deliciae atque amœnitates in unum cumulum cogerentur, præ illis, quas ipsa perceperat, nihil essent, easque vel Seraphinis ipsis esse inexplicabiles assererat.

Possent paria referre de pluribus alijs: uti de S. Teresa, dum in cicatrice vulneris in manu Christi, & totius corporis splendorem admirabilem die Resurrectionis Christi lætabunda conspiciat. De S. Francisco Assisiano, dum etiam supra arborum cacumina flammis amoris, & cælestium rerum inenarrabili voluptate sensuque subvehitur. De altero Francisco Paulensi, dum pari deliciarum absorptus oceano, nihil aliud profert quàm: *O charitas!* de tertio item Francisco Indiarum Apostolo, qui dum tantos gaudiorum cælestium incurfus angustiae pectoris non capiunt decantatum illud, *Satis est ingeminare non cessat;* denique de quarto Francisco de Salez Episcopo omnium suavitatum & sanctissima-

etissimarum affectionum hortulo amoenissimo, qui ob nimiam deliciarum abundantiam de vitâ periclitatus Deum rogare coactus est, ut torrentes illos listeret, ac futuræ beatitudini reservaret.

14. Possent de tribus Catharinis non ab similia professione. 1. De Genuensi, quæ cum Deo jucundum amoris certamen inire visa est, dum magnâ animi deprecatur demissione, ut gratiarum profusioni velit parcere, easque in longè se digniores transferre; ille verò ita dona sua in illam congerit & perseveranter exaggerat, ut viribus destituta & sui imposita, Deo victori cedere compellatur. 2. De Senensi, quæ paribus cum Seraphinis ardoribus accensa & in eorum velut chororum admissa, privilegio singulari in ipsius divinitatis gremio conquiescit. 3. De Bononiensi, quæ post frequentes de humani generis hoste relatos triumphos, tantam sibi apud Deum, cælestesque spiritus conciliavit gratiam, ut in ea ornanda, & beneficijs cumulanda contendere inter se viderentur.

15. Possent etiam S. Patris nostri lachrymas cælestis dulcedinis testes adducere, vel potius ab eius testimonio firmamentum petere, quo dixit, si Sancti non ampliora à Deo beneficia favoresque accepissent, quàm illa, quæ in eorum

leguntur historijs, se suas cum illis gratias non esse commutaturum: quin & eius alumnum & sequacem Patrem Joannem Sanchez accerferem, qui auditus est dicere, tantis se à Deo perfundi delicijs, ut si omnes mundi voluptates, quæ sunt fueruntque, in unum cumulum conflarentur, earumque sensus perpetuaretur in annorum decursibus innumerabiles, omnes illas præ suis, quibus vel unius quadrantis spatio fruebatur, libentissimè contemneret.

O quàm beatum fortunatumque est, Dei præsentia perseverantissimè frui, & ad tam deliciosi, ac semperfluentis & irrigui fontis marginem dulcissimè refici, & conquiescere; ubi ne sit in desiderando anxietas, ubi habeas unde satieris, & ne sit à satietate fastidium, reperis unde desiderium accendas: quàm præterea ex alia parte, quàm insulsam est & inurbanū, quàm nocens & dedecoris plenum, à rebus fugientibus & vilibus emendicare voluptatulam, & velut guttatim sorbillare: quam è plenissimo fonte ultrò profluentem copiosissimè haurire, si velis, possis: hinc illa lacrymæ B. Magdalenæ de Pazzi, cum sancti moniales ad monasterij crates cum sæcularibus tam libenter temporis fallendi gratiâ fermocinari, intueretur, malletque

16. Quam beatus ille complexus.

17. Secessus miser.

quæ ipsa tot horas in flammis purgantibus cruciari, quot in illis cum advenientibus invitè consumere cogebatur; neque enim credebatur moniales ab illis tales recedere, quales ad illos ingressæ fuerant: Nolim quidem se veriùs hîc quàm oportet agere, cum sciam S. Benedicti cum sorore Scholasticâ colloquia, quantas amori in Deum augendo flammis in utriusque pectoribus excitarint; sed quia in multis tam ardentia corda incensalque linguas non facilè reperies, ita etiam à prolixis illis contabulationibus plus detrimenti, quàm adjumenti amorem divinum haurire meritò dixeris.

CAPUT XXII.

Amor perfectus ad perfectam Dei fruitionem, quam habiturus est in altera vitâ, aspirat.

I.
Quid in hac vita amantem cruciet.

Habet aliquid onerosum, aliquid permolestum amori mortalis hæc vita, in qua terrena corporis moles visco suo animi pennas inficit, ne ad cælestis sponsi complexus, congressusque, ut lubet, evolare possit; quotidiana edendi, dormiendi que necessitas non parum temporis intercipit, quod multò suaviùs in jucundo

amoris cum divina bonitate commercio collocaretur; hinc amoris suspirantis ad æternas illas sedes affectus suavissimi & ardentissimi.

Moysem aspice: admittus ille ad intimam cum Deo familiaritatem, ab eius colloquio facie radijs coruscante revertitur; ut filij Israël in eum oculos intendere propter fulgorem erumpentem nec audeant, nec possint: hac tamen ille tantâ tanque amicâ cum Deo consuetudine non contentus, ad perfectiorem fruitionem aspirat. *Ostende*, inquit, *mihi faciem tuam*. Simeon senex ille Deo plenus etsi verbum infantilibus membris vestitum tenerimè brachijs esset complexus, eoque thesauro potitus, quo majorem Deus homini elargiri non potest, absolui nihilominus vinculis corporis efflagitat, quo in ampliorem boni jam degustati possessionem admitti possit. S. Paulum, si Chrysofomo credimus, raptus ille in tertium cælum ita delicijs cælestibus impleverat, ita à rerum omnium sensu abstraxerat, ut si flammis mortales illi adhiberes, non sentiret, non uretetur; & tamen quasi tantarum voluptatum non meminisset, aut præ illis, quas expectabat, parvi duceret, exclamar: *Cupio dissolui & esse cum Christo*.

Amantium huiusmodi vox est com-

2.
Animus
oprat ar
ctius uis

Moyse.

Simeon.

S. Paulus
1. de Cor.
p. 13.

communis cum Regio Propheta, qui inter illos perfectos amatores postremus non fuit: *Sicut anima mea ad Deum sortem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Domini?* qui dicit. Quando veniam, ostendit permolestam sibi esse tanti boni dilationem, & licet in foribus sit, pro magnitudine tamen desiderij anhelanti animæ mirum quantum remotum esse videatur.

Franciscus de Sales.

B. Franciscus Sales, qui cælestibus delicijs quodammodo absorptus, atque oppressus Deum rogarat humi prostratus ut contineret undas gratiæ, quia tantæ dulcedinis magnitudinem sustinere non poterat; postea quatuor aut quinque mensibus ante suum ex hac vita decessum; Nihil est, inquit, nihil omnino in terris, quod me aliquo lætitiæ sensu possit afficere, cuiusmodi illud sit, quod occurrit, nihil mihi solatij potest afferre; ad cælum cogitationes omnes meas transtuli: unde vicinior morti auditus est sæpè dicere: *Renuit consolari anima mea; memor sui Dei & delectatus sum.* Et tandem paulò ante mortem has exundantis lætitiæ voces effari: *Misericordias Domini in æternum cantabo.*

3. Simile de terræ motu.

Terræ motum ab igne in visceribus terræ concluso effici putant Philosophi, qui accensus viciniorque aërem inflammas violentâ

terræ concussione aditum sibi facere, & erumpere nititur, atque ad centrum suum conscendere. Ita amor ille perfectus flammis suis interiora hominis depascens, & angustias pectoris non ferens, per suspiria, vocesque ardoris indices dilatari, & ad cælum evolare gestit: quod in sancto Dominico contigisse memorat S. Antoninus,

4. Philippus Nerij ardor.

qui tam frequentibus suspirijs, votisque ardentibus anhelabat ad divinos amplexus, ut ultimis vitæ mensibus nodum animæ cum corpore non tam dissolvere, quam violenter abrumpere velle videretur. Cùm S. Philippum Nerium in die Pentecostes tantis amoris incendijs æstuantem lego, ut una è costis violento cordis motu frangeretur, unum aliquem carcere detentum videre mihi videor, qui libertatis avidus, fenestræ alicuius crates terreas diffringit, quâ evadere possit. Ita S. Philippo nimis angusta erant pectoris spatia, ex illis velut è carcere cor divinis flammis accensum ad æternam libertatem aspirabat. Audit S. Teresa in festis Paschatis suavissimæ cantilenæ modulos animæ ad sponsi conspectum anhelantis, & dicentis: *Videant te oculi mei, dulcis Iesu, videant te, & hinc moriar, ut te fruatur.* & viribus deficiens & extra se rapta, semimortua deportari debuit. Quid quæso Beatum Ægidium Francisci Discipulum sistebat in vestigio

5. S. Teresie.

P. vestigio

vestigio immobilem, cum Paradisum nominari audiret, nisi quædam ab omnium rerum cogitatione mentis alienatio & impetus quidam animi in cælum evolare cupientis? In lachrymas resolvuntur alij, & grassantem amoris flammam suavi illo rore si non extinguere, temperare certè aliquo modo nituntur: quod S. Patri nostro Ignatio frequenter evenisse memorant; qui locum domus altiore confcendens, unde liber esset in cælum prospectus, ibi sublevatis in illud oculis, lachrymis suaviter defluentibus immadefcebat, quasi illæ dicrent: *Quid mihi est in celo, & à te quid volui super terram, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum?*

6.
S. Monica,

Sed audiamus S. Augustinum cum S. Matre Monica paribus flammis ardentem, & ad ostia Tyberis innixum cubiculi fenestræ, fixisque unâ in cælum oculis de cælestibus gaudijs cum illa sermones miscentem. Ita illa filium alloquitur: Fili, quantum ad me attinet, nullâ jam re delector in hac vita: quid hîc faciam adhuc, & cur hîc sim nescio, jam consumptâ spe huius sæculi. ille verò; *Quærebamus, inquit, qualis esset futura vita æterna sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit: inhiabamus ore cordis in superna fluenta fontis tui, fontis vi-*

tæ, qui est apud te; ut quantalibet delectatio corporæ præ illius vitæ jucunditate non comparatione, sed ne commemoratione quidem digna videretur: ipsum, aiebam, quem amamus, sine ipsis audiamus; subtrahantur aliæ visiones longè imparis generis, hæc una rapiat & absorbeat spectatorem suum, ut talis sit sempiterna, quale fuit hoc momentum cui suspiravimus: nonne hoc est, Intra in gaudium Domini: scilicet amor ille perfectus jam consumpserat in utriusque animo omnes paleas huius vitæ, & cælestis vitæ fruitionem, quo velut pabulo in æternum aleretur, requirebat.

Verumenim verò, cum præter spem æterna illa refectio differret, & ignis ille amoris, undique alimenta, quibus refocilletur, inquirat, ad illud Teresianum recurrit, *Aut pati, aut mori*: anima, inquit illa, ardens Deum videndi desiderio, cum id differre animadvertit, molestissimam illam dilationem non alio solatio levare utcumque potest, quàm si pro sponso aut se voluntarijs pœnis excruciet, vel aliunde prouentes acerbitates & cruciatus pleno sinu excipiat.

Catharina Senensis amore divino tota deflagrans, cum occasione Schismatis, pestilens cupiditatum & bellorum incendium totâ Italiâ purvagari conspicit, sese vchit

7.
Spes dilata cruciat
S. Theresia

B. Catharina Senensis

velut expiatoriam victimam Deo offert ad tantam pestem vel aver-tendam, vel extinguendam: ac-ceptatur à Deo eius oblatio, & velut victima dæmonibus excru-cianda, & excorianda traditur; pascitur tamen tormentis istis eius in Deum charitas, mille pro ta-ta munificentiâ gratias agit, & dæmones provocat, ut ultimas vires in se torquenda experian-tur.

Magdale-
na de Paz-
zi.

Magdalena de Pazzi, ut amori suo faceret satis, Deum rogat, ut dolores acerbissimas, quos sub mortem ille passus est, communi-care dignaretur; impetrat, & dum cruciatibus prope conficitur, præ amoris magnitudine medijs se ina-quare gaudijs arbitrat.

7.
es dillo
cruciat.
Cherijia.

8.
B. Ange-
læ.

B. Angela Folignia quò suis ar-doribus levamen aliquod & sola-rium inveniat, Deo supplicat, ut omnibus contumelijs, opprobrijs, omni ignominia ac infamia, qui-bus unquam ab omni memoria mortales omnes dehonestati fuê-re, onerari ac notari se permittat, id sese ingentis beneficij gratia-que loco habituram: nimirum ani-mæ ingentes cælestis amoris in-cendio propemodum consump-tæ, malorum perpeffionem quasi balnei alicuius refrigerationem efflagitant. Ad copiosum ignem alendum magna lignorum conge-rie opus est, ita ad amoris perfecti flammam nutriendas multa & ex-

aggeratæ cruces necessaria sunt: ut meritò pudere nos debeat tam exigui in Deum amoris, qui ad minimam calamitatem refrigeraci-mus & cruci stramineæ consu-mendæ satis virum non habemus, cum è contrà illa amoris prodigia in medijs flammis ad instar Sala-mandræ, non vitam modò, sed de-licias inveniant, aut sicut Vesuvius aliquis aut Æthna perpetuos ignes enutriant, saxis durissimis, & metallo quolibet liquefaciendis pares: quin imò quò magis amor ille cælestis accrescit, eò magis cæ-terarum rerum minuuntur appe-tentiâ, unumque novis semper incrementis augetur Dei videndi, possidendi que desiderium. Cuius rei adumbratam imaginem in Ior-danis aquis sacræ paginæ repræ-sentare mihi videntur, dum dicunt Sacerdotibus arcam deferentibus in Jordanem ingressis, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis, ste-tisse superiores aquas ad instar montis intumescentes, & alias in-feriores descendisse in mare mor-tuum, usquedum deficerent, po-pulusque omnis per arenam al-veum transiret. Idem contingit in illis perfectis amatoribus, in quorum animis omnes rerum fu-gientium imagines atque desideria diffluunt, & evanescent; unus Deus, eiusque amor augmentis continuis mirum quantum flam-marum cumulum exaggeret, do-

Ioſue 3.

P 2 nec

nec consumptâ vitâ, beiori affluentia perennet in cælo.

9.
Ioannem
Baptistam
Sanchez.

P. Joannes Baptista Sanchez, unus ex illis, quos igneos appellat S. Chrysostomus, ita videndi Dei desiderio inarserat (quemadmodum superiori suo ex instituti sui lege retulit) ut si istius voti isto die se compotem non futurum Deo revelante cognosceret, continuò præ doloris magnitudine moriturum non sentimus; sed magnis istis heroibus fides meritò habenda est, quos ad id dicendum & amoris violentia, & veritates amor impulit.

10.
Sanctam
Carillo.

Admirare mecum quid simile in Sanctâ Carillo, quàm tantus amor ad cælum evolandi, Deoque fruendi incenderat, ut tantum bonum differri ipsa morte sibi intolerabilius esse duceret; cum intelligit divino monitu se demum post annum ~~re~~ ad eò desideratâ potituram, Post annum, exclamat, ô crudelis dilatio! unde mihi animus, & patientia, ut tantam moram ferre æquanimiter possim: ô carcer, ô vita! quàm mihi diuturnum! Utinam volent dies, & horæ, & tempora præcipiti cursu diffluant, ut tandem momentum illud compareat, in quo sub umbrâ illius, quem ad eò amavi, conquiescam.

CAPUT XXIII.

Amor perfectus interim dum Dei fruitio æterna differitur, frequenti Eucharistia sumptione se solatur.

Nemo alicui vitio vertit, si amici absentiam aut imaginis eius aspectu, aut alicuius ex filijs eius præsentia consoletur; si cum filio sermones misceat, si eum beneficijs ornet, si omni amicitiae testificatione demereri sibi, ac devincire conetur; atque his erga filium eius officijs, dolorem, quem ex amici absentia sentit, quomodoque leniati, ita animæ Dei amore vulneratæ, cum in hac miseriarum valle tranquillè, & ad satisfactionem eius præsentia frui non possunt, conspectu, colloquioque cum proximo, qui Dei imago est, & frequentatis erga pauperes obsequijs, in quibus Christum velut præsentem intuentur, contentæ non sunt; sed eum in Venerabili Sacramento, sub candenti velo delitescentem frequenter accedunt, ibi illum venerantur, alloquuntur, & omnibus officijs humillimè, ac perseverantissimè colunt, ac demerentur. Primò itaque ad templa publica, velut

L.
Spem di-
lar amle-
niat utus
Ven-Euch.

velut ad amici domum, in quibus ille pyxide inclusus domicilium sibi delegit, libenter adeunt, in ijsque familiaris cum illo fermocinantur, & cordis sinum aperiunt, doloremque, quem ex huius vitæ calamitatibus percipiunt, amicâ quâdam secretorum communicatione levare, & abstergere conantur. Testantur id pervigilationes nocturnæ S. Xaverij in templis, cum se dabat occasio, etsi hospitis domo egredi esset necesse; quod sibi gratissimum esse testatus est Deus non semel, ut in S. Dominico, quem nocte concubiâ ad templi valvas accedentem ijsque non referatis Deus ante aram principem, in qua reconditum erat Ven. Sacramentum cum socio admisit, & post noctem precibus ardentissimis ac cælestium consolationum incredibili affluentia tractam eodem modo dimisit: in Zacharia Constantinopolitano, cui de nocte in æde S. Sophiæ primæ, secundæ, & tertiæ fores argenteæ divinâ virtute referabantur, ut propius ad Christum in Eucharistiæ arcuâ magnificâ velut in throno gratiæ confidentem accederet.

Norunt amantes illi Dei Filium cælis receptum, hanc tamen inter homines, velut nube candidâ ob velatam commorationem, in commune solatium delegisse. Hinc accurrunt ad il-

lum frequentissime, ut à B. Henrico Susone per diem sæpius, à B. Francisco Borgia septies; ab alijs duodecies magnâ animi voluptate factitatum legimus: Patrem Ludovicum de Ponte, virtute scriptisque celeberrimum cum ab amico inviseretur, ferunt ab eo ante venerabile Sacramentum de genibus orantem repertum esse, quem tantâ reverentiâ cum Deo agentem, cum alter incerpellare nollet, duas ibi horas hominem prætolatum esse, totoque illo tempore cum Patrem velut amoris flammis inardescentem, & præ admirationis affectuumque magnitudine velut à sensibus alienatum nec caput, aut aliud corpõris membrum moventem aspiceret, attonitum hæsisse, & tam dulci spectaculo recreatum, totum illud temporis spatium stetit de genibus precabundum, Deoque Patris pios sensus, & animi supplicationes ardentissimas pro suis obtulisse.

Sed præcipuum allevamentum illis provenit ab augustissimo Missæ sacrificio, & Eucharistiæ ardentissimâ sumptione: illic radijs fidei illustrati sponsum præsentem intuentur, & cum illo cælestis mensæ prægustant delicias, ac Soli quodammodo propiores, eius flammis inardescunt. Hinc illi radij, quibus Sancto Philippo Nerio ad aras facienti facies coruscabat; hinc globus igneus super Sa-

4
Maxime
sacri audi-
tio & ce-
lebratio.

P 3 Mar-

2.
Exempla
sacras edes
adventu.

3.

tini verticem eo tempore ardere visus: hinc Sancti Xaverij ad aliquos supra terram pedes amoris igneâ vi corpus sursum agente toties spectata cum admiratione sublevatio: scilicet Deus ignis consumens est, qui in pectus bene dispositum illapsus, mira incendia excitat, quem cum cordis angustijs capi non possunt, foras erumpunt, & spectantium oculos, animosque in sui admirationem rapiunt.

5.
Eucharistiae mirus effectus.

Sed quid de feminis sanctissimis dicam, quas nullo alio pane, quam cœlesti illo cibo, non dies aut hebdomadas, sed menses aliquot vixisse legimus? aspirabant illæ ad sponsi in cœlo complexus, cumque ab amoris flammis consumptæ rerum omnium sublunarium fastidio laborarent, & ad cœlestis agni delicias anhelarent ardentius, nullum quam in illo cibo Eucharistico levamentum reperiebant. Maria Ogniacensis triginta dies ab omni cibo potuque abstinet, & nullum cum aliquo verbum facere potest; hoc solum per intervalla proloquitur: *Cupio corpus Domini IESU Christi.* S. Catharina Senensis à die Cinerum ad usque diem Ascensionis hoc unico Angelorum pane sustentatur; sed omnem in hoc genere admirationem superare mihi videtur, quod de B. Simeone Stylita produnt historiæ, qui totos illos octoginta annos, quos in columnâ vel-

ut gloriosum divinæ potentiæ spectaculum transegit, nullo cibo aut potione usus est, post octo dumtaxat dies tot annorum curriculum iterata Eucharistiæ refectio recreatus: Angelum illum de cœlo lapsum dices, qui paribus cum beatis illis spiritibus, epulis deliciisque frueretur.

Verum has singulares, & prorsus extra ordinem divinæ Majestatis gratias missas faciamus, & ad admirabilem illam tot amantium cum Deo in hoc Sacramento familiaritatem oculos convertamus: an arbitramur ita in hac mensa cœlesti illos se habuisse, sicut nostrum plerique omnes, qui linguam amoris non callemus, & post cœlestis illius cibi sumptionem vix mediam horulam agendis gratijs, aut amoris flammâ ad tanti ignis præsentiam excitandâ, bene, & salutariter impendimus. Longè aliter S. Coleta Virgo ardoribus divinis inflammatissima, quæ ubi in sacra Synaxi sponsum intra cordis arculam exceperat, in mutuis cum illo sermocinationibus decem aut duodecim horas, aut si temporis occupationes non permittebant, sex ad minimum consumebat; quæ suspiria, quæ voces etiam ex nolentis pectore tum erumpebant; ut proinde in secretiorem locum secedere cogere, ut liberius amori velificaretur, & cœlestibus expirationibus habenas laxaret.

Inter-

6.
Fervores
amantium
in Vener.
Eucharistiam.

7.
S. Coleta.

Interdum hominibus cum amico suaviter confabulantibus horę nō currere, sed volare videntur. Longę alię cum Deo in hoc congressu Eucharistico delicia, alia colloquia, alij sensus, & supra omnem sensum cęlestium bonorum inexplicabilis affluentia, & in animam vix sui compotem amantissima profusio.

8. Beatus Aloysius Gonzaga cū post communionem in isto gratiarum velut Oceano duas horas deliciaretur, temporis tam beati particulam sibi furripi non ferebat, & vocatus tum ad colloquium à fratre Marchione, ad geminę horę spatium ire distulit, dicens, cum præstantiori amico nobilius & fructuosius negotium sibi esse, & majores conjunctionis amicitięque necessitudines cum Christo, quàm cum ullo propinquo sibi intercedere.

9. S. Franciscus Assisias, uti à Sancto Bonaventura memorię proditum est, pane Eucharistico reffectus amore velut ebrius, & rerum omnium præterquam dilecti sui oblitus, in mirabiles exultantis & gestientis animi læticias sese effundet ab, ut iam cęlestibus gaudijs potiri videretur.

11. S. Francisca Romana, inter vi- duas omnis sanctimonię exemplar, quam Christus ipse suā manu sui corporis participem, cū id nollet Sacerdos, facere voluit; ut

ad istas epulas admissa erat, Christumque jam sumperat, immobilis & extra se aliquo tempore perstabat, omnibus animi corporisque facultatibus quasi in interiora regressis, ut novo hospiti, omnia venerationis officia, & gratias deferrent, quàm possent amplissimas, idque totum agerent altissimo, sed deliciosissimo silentio. Et ne id raris istis amantibus singulariter concessum esse putemus, eam etiam vulgaribus hominibus, & artificibus de trivio collaram fuisse gratiam vidit S. Simeon cognomine Salus, quorum animas, dum illi à sacrę Synaxis perceptione redeunt, intuitus est ad instar stellarum splendescere, splendore scilicet abs cęlesti illo Sole, quem receperant, & ab amoris igne, quo ardebant, foras emicante: adeò grata est illi sponso consociata charitate simplicitas.

Dicet fortassis mihi hicaliquis, non omnes, quę ad istam mensam accedunt, ad istas delicias admittunt nonnullas tum temporis ad instar terrę stientis arefcere, & velut adultã hyeme maximis frigoribus concuti, & contremiscere, quin etiam earum aliquas nescio quibus cogitationibus in ipsum Deū injuriolis affligi, & Andabatarum more in tenebris cum hoste spurcissimo conffigere. Nihil horum negaverim, ne contra experientiam pugnare velle videar; sed quid

11. Subinde tentationem permittit Deus ad pugnantium gloriam.

ANNE
MUN
GOGE
11
OREN
MUN
VEM

6. vore
antium
Vener.
chari-
m.

7. Colm.

12.
Simile à
gladiato-
ribus.

quid, si dixerò, certamen illud à Christo permitti, ut hosti luctuosum, amico verò quaestuosum, atque gloriosum: Apud Romanos, more licet inhumano, receptum ultimis sæculis Urbis conditæ legimus, ut gladiatores convivij tempore, in aulam inducerent, qui sese mutuis vulneribus conficiendo convivarum oculos crudeli certè spectaculo pascerent, animosque oblectarent. Longè aliter, & alio fine Christus inter illas cælestes epulas, ipsos convivas cum hoste teterrimo committit: non ut inde voluptatem capiat, qui malis nostris non delectatur, sed ut ipso præsentè, spectante & adjuvante de adversario triumphum reportent, quem deinde immortalis in cælo gloria consequatur.

13.
Exemplū,

Tenuit bellum internecino simile dæmonem inter & sacerdotem vitæ integerrimæ, annos duodecim: huic in duobus potissimum molestiam ille creabat, uno tempore dum sacris operabatur; altero, dum Deiparæ preces offerret; in utroque fædis imaginibus, & importunis mentis aberrationibus hominem exercebat, quem nunquam ad impatientiæ, aut desperationis barathrum, quod maximè spectabat, præcipitem dare potuit: victus ipse, & post tot annorum dimicationem prorsus debellatus, in præmium victoriæ vincitæ post tergum manibus, &

pudore coopertus (sic illum vidit S. Birgitta) utroque tempore, sacrificij scilicet, & precum B. Virginis, ante Sacerdotem stare coactus, qui inter ea exercitia cælestium deliciarum affluentia redundabat. Non est militis, belli pacivè dictare leges; sed Ducis imperata facere, eum amare, ei fidere, & in eius prudentia benevolentiaque quiescere: non mella aut blanditias in hoc Sacramento venatur amor perfectus, sed Christum ipsum affectatur, & illo solo, non eius oblectamentis frui desiderat.

Christus ipse vicissim amari se vult, & apud Sanctam Gertrudem de una Sanctimoniali conqueritur, quæ vilitatis & indignitatis suæ consideratione ita oculos sibi obvelaverat, ut illos in Christi bonitatem, & erga infirmos mortales benevolentiam non intenderet; neque adverteret, quàm ipse humani cordis hospitio recipi ambiat, & pretiosissimis muneribus receptionem sui locupletet: reverentiam probat, sed fiduciæ amorique potiores partes tribui vult, & quotiescumque eius, quem nobis in rebus animi Ducem delegimus, consilium sequimur, nos ad se accedentes aperto benevolentia sinu excipit, amplexatur, insignibus ornat gratijs, & multis auctos muneribus in discessu suo amantissimè dimittit.

Quid

14.
Christus
vult in
Euchar-
stia se a-
mari, non
blandi-
tias,

Vadingus
ad annum
1214.
15.
Imò sedat
ipse Sa-
cerdote
deficiente.

Quid quòd non solum, ut olim apud Zachæum, seipsum, ad mutuas epulas invitat; sed cum deest Sacerdos, qui Sacramentum ministrat, ultrò ipse stupendo amoris omnipotentis prodigio seipsum donet & cordis humani voluntarius hospes per miraculum possessionem adeat. In annalibus Ordinis Sancti Francisci duo fratres ad panem emendicandum necessitate ita compellente, à superiore missi, dum omnibus Missæ sacrificijs absolutis domum revertuntur, magnus illos dolor invasit, quòd die tam sancto is erat dies Jovis sancti) divino illo cibo privari se cõspicerent; accedunt ad altare, ubi Christus ciborio inclusus asservabatur, atque ibi prostrati amica cum querimonia animi mœstittiam, angoreinque deponunt, cum ecce Christus pulcherrimâ juvenuli formâ è tabernaculo egressus, illis ipse suâ manu corpus suum elargitur tantaque gaudij affluentia delibutis, quantum res tam prodigiosæ benevolentia mereri videbatur.

S. Bonaventuram, dum præ reverentiâ, ad sacram illam mensam non audet accedere, ipse Angeli ministerio corporis sui participem facit. Sanctam Coletam eodem dignatur beneficio, dum Sacerdos per oblivionem hostiam minorem pro illa consecrare omittit; & S. Franciscam, uti supra verbo per-

strinximus, dum prudentulus scellanus maritatum sceminam tam augusta mysteria crebrius frequentare, quàm par sit, existimat, ei que Sacramentum impertiri recusat, suâ ipse omnipotentia hostia particulâ mirabiliter, & amanter donat: quasi ipse non tam Franciscæ indulgeret amori, quàm suo.

C A P U T XXIV.

De quinto gradu Amoris qui consistit in perfecta voluntatis humanæ cum divina conformatione.

Celebratum omnibus sæculis hoc pronuntiatum etiam Catinâ teste ait S. Hieronymus; Amicitia vim maximam in hoc consistere, ut qui eam profitentur, idem velint, & nolint. Unde confectarium hoc oriri existimat Aristoteles, ut etli plures animos habere possimus, vulgares, & quodammodo desultorios; perfectum tamen, & qui sit velut *κατ' ἐρωτη-βόλῳ*, amicus, omnesque in se amicitia numeros complectatur, unicum tantum esse oportere: cum enim amicus, res omnes suas, & voluntatem suam amici dedat arbitrio, qui fieri potest, ut duobus fiat ista cessio? si enim duo illi di-

Apol. con- tra Rus- sianum.

I.
Amicitia cum uno esse oportet.

Q versa

14.
Christus
ult in
uchari-
a se a-
nari, non
landi-
as.

Idem anno
1243.

versa velint, & pugnantibus inter se imperijs aut desiderijs te quisque in suas partes velit adducere; cui tandem ex illis te trades, cuius obsequeris voluntati? ab altero te sejungis, cum alteri te accommodas. Atque hæc in amicitia hominis cum Deo locum habere non possunt, quam si, ut decet, colere, & firmam, stabilemque conservare volumus; minimos voluntatis divinæ nutus sequamur oportet, & omnes actiones ad eius perpendiculum expendamus, & quo Amor perfectus accuratius se isti regulæ conformat. Deo gratior evadit, atque perfectior. Atque

2.
Eius quatuor divisiones.

Altitudo. ut id assequatur, operæ pretium est quatuor dimensionum genera propius considerare, ut amoris nostri perfectionum ad earum amissim exigamus. Altitudo in hoc consistit, ut non tantum in ijs, que Deus pro imperio jubet, morem geras; sed in ijs etiam, quæ magis ei placent, eius desiderio te accommodes; etsi jubentis auctoritas & pondus non accedat. Latitudo verò in hoc sita est, ut non solum in magnis rebus & difficilibus, summiq; momenti voluntatis divinæ arbitrio te conformes, sed in minimis etiam & quotidianis occasionibus, quod magis Deo lubescit, id magnâ diligentia curaque perficias. Longitudinem sectaberis, si non menses tantum & annos vitamque totam hoc con-

Latitudo.

Longitudo.

formationis studium complectatur; sed etiam in totam æternitatem se extendat, ut nihil in æternum velis, nisi quod Deus in æternum volet. Profunditatem assequeris, si non tantum facias quod Deus vult; sed in eius voluntatis arcana penitus ingressus, modum, & finem, quem in illis spectat, tu etiam tibi proponas, id omne velis, nolis, agas, & tolere quod illi collibitum est, & eo modo, quo maximè illi placitum est, ut omnis tua intentio, omnis actio, & omnis sermo ad istius sanctissimæ voluntatis regulam normamque dirigatur.

3.
Sic amare te nihil beatius.

Quid beatius illo Amante? quid sanctius? qui ita divinæ voluntati suam agglutinat, ut neque difficultatis, neque incommodi, neque laboris, neque periculi alicuius rationem habeat; sed hoc unum sibi semper occinat: Ita vult Deus: à quiete dulcissimæ contemplationis avellitur, cum Sancto Francisco ut spinosis cum proximo negotijs intricetur, quia Deus ita vult: ad laboriosum ordinis religiosi gubernaculum manum admovet, elatus supra aliorum verticem quorum potius pedibus subjacere adamat, ut sanctus Pater Ignatius; quia ita vult Deus: dimissâ tractatione corporis austerâ, amandatis jejunijs ac vigilijs, quæ elegerat, indulget aliquanto tempore ad alterius nutum blandæ remissioni

Profunditas.

Ex Cl

Et Sa

fioni, ut S. Bernardus : quia ita vult Deus: est in manibus Dei ad instar ceræ mollissimæ, quæ impressionem quamlibet ab illo suscipit, abjectâ prorsus propriæ duritiæ voluntatis: ad hanc cælestem trutinam omnium actionum & negotiorum pretia appendit & examinat; labores sunt illi Paradisi quies atque delicia, si à voluntate Dei proficiantur, & è contrâ si inde non emanent, ipsius Paradisi oblectationes pro spinis & molestijs habet. Christus fabri opificium triginta circiter annis ex Patris æterni præscriptione tam libenter exercuit, quàm deinde cælesti doctrinæ disseminandæ, & animis lucrands triennium dedit. Egregium in hoc genere posteritati exemplum reliquit B. Franciscus Sales quod suis ipse verbis exaratum voluit: Nolo, inquit, mihi ullam eligendi optionem dari: Deus ipse, si placet, solus eliget: nihil volo, & omnia volo, modò voluntas divina, meæ Regina voluntatis, prius velit: post mortem, ad locum, quem mihi incomprehensibilis bonitas assignarit, lubenter & plusquam lubentissimè, in eoque pacatè & placidè conquiescam: cum hac loci à Deo mihi facta designatione. Purgatorium mihi erit ad instar Paradisi; sine illa Paradisus ad instar purgatorij à me reputabitur. O! inquires, ad Paradisum potius evchamur, ibi Deum

multo perfectiùs laudabimus. Nolo illud multò perfectiùs examinare aut discutere; hoc mihi sufficit; si eum laudem, quantum ipse sapientissimus præscripserit. Ita vir ille sanctissimus, & quietis & pacis singulare domicilium; cuius ab ore manabant hæ frequenter voces: Volo, ut quod Deus meus non est, mihi pro nihilo sit: omni me libertate aliquid volendi abdicco, unicum mihi reservo desiderium conformandi me voluntati divinæ, & miror homines alteri bono, quàm illi adherescere. Nihil ajebat optandum, nihil repudiandum, exemplo parvuli Jesu jacentis in præsepio, & ad omnes cæli injurias expositi: non legitur ad papillas maternas manus extendisse ut lac haurire se velle monstraret, hoc maternæ relinquebat providentiæ, à qua oblata solatiola non recusabat. Nihil ille infantulus ambiebat, omnem suam voluntatem in matris voluntate deposuisse videbatur: ita non est satis amanti, divino beneplacito conformari, sed omni se propriâ voluntate exuat oportet, & illam in divinâ quodammodo convertat, ita ut non tam velimus ipsi, quàm Deus in nobis & pro nobis velit, operando velle simul & perficere, modo admirabili, sed amanti per jucundo, atque fructuoso.

Sed ad alia bona, quæ ex hoc fonte conformationis cum divina

Q 2 volun-

6.
Et Puctuli
Iesu.

7.
Eius fru-
ctus con-

4.
Exemplo
Christi.

5.
Et Fran-
cisci de
Sales.

formatio
volunta-
tis.

voluntate promanant, oculos animamque convertamus: in primis si divinæ prædestinationis argumentum inquirimus, in hoc certe habemus longè maximum: neque enim in quadam sensibili cælestium deliciarum prægustatione, aut altissimæ contemplationis somno, aut integra & vix interrupta animi pace, hæc æternæ beatitudinis artha consistit, sed in propriæ voluntatis abdicatione & in divinam velut, transfusione quaerenda est; cum homo Dei amore deslagrans, & sui quodammodo oblitus, omnia sua desideria, prætensiones, omne suum posse & velle irrevocabiliter divino submittit arbitrio, idque tantam animi firmitate, & stabilitate consilij, ut ne minimo quidem peccato ab ea subjectione vel minimum unguem velit recedere.

8.
Alius felicitatis
repræsentatio.

Tertius
divinæ
gloriæ
amplificatio.

Secundus fructus est quædam cælestis felicitatis repræsentatio, in qua omnium beatorum voluntates unica Dei voluntas velut absorbet & in se convertit.

Tertius est eximia quædam divinæ gloriæ hinc profluens amplificatio: neque enim arbitror ex omnibus humanæ mentis erga Deum officijs præstantiorem atque illustriorem Dei gloriam existere, quam ex profundissimâ creatæ voluntatis ad increatam submissione. 1. Enim dum solius

amoris impulsu Dei præscriptionibus me subijcio, meque ei regendum formandumque committo, Deo summam inesse sanctimoniam, & supremam recti, honestique curam ac regulam publicè attestor, & beatos omnes nihil præclarior, nihil rectius, nihil meliori & sanctiori ordine velle aut providere posse, quam ipse velit, & provideat: deinde, quanti eius Majestatem, & auctoritatem, supremumque in omnes mortales dominatum æstimet, apertè declaro, cum eius placitis in omnibus obsequor, & minimum eius autum omnium Monarcharum jussis, & institutis antepono. Tertio eius eminentiam, & ab omnibus independentiam agnoscere me profiteor, à quo dependere debeant omnia, eiusque legibus agere, & vivere.

Quarto hinc oritur amoris ad eminentem gradum proveci excellens testificatio: est enim amor mutuus quædam voluntatum conjunctio, & agglutinatio, & est perfectior, quod firmitus stabilisque; voluntates amantium inter se copulantur, atque conspirant; ubi verò hæc conjunctio rimas agere incipit, animosque dividere; tum etiam amorem interire, aut in quætuosam proprii commodi, negotiosamque procuracionem degenerare necesse est. Ne te putet hanc amoris in Deum perfectio-

9.
Alius
amoris
testificatio.

tionem affectum, cum ad Dei familiaritatem & amicam in orando, agendoque consuetudinem admissum te sentis; si dum te Deus, illa tantisper omisa, negotiosa & actuosæ vitæ occupationibus implicari vult, eius ordines gravatè & cum molestiâ suscipias, detrectaturus, & ab illis discessurus, si sine culpâ id obtinere posses.

10. Dissimilia de amico. Dic mihi obsecro, eumne perfectæ amicitie leges accuratè servare existimas, qui rogatus ab amico, ut negotij alicuius causâ, iter aliquod molestum cælo pluvio & nimbo suscipiat, difficilem se præbet, & unicam excusationem obtendit, quod ab eius aspectu, & consuetudine avelli non possit?

De filio. An filium minùs quàm par sit, Paternis obsequijs addictum non sentis, qui eidem cum Patre mensæ accumbens, & non tam jussus, quàm ab illo rogatus, ut continuò surgens aliquid exequatur, Patri respondet, se quidem in eius semper futurum potestate; obsecrari tamen, ne se modò à suo conspectu præsentiaque amandet, quam experitur longè gratissimam?

De conjug. Quid tu? an non illam conjugem amorem suum & reverentiam erga maritum malè testari pronuntiabis, quæ semper eius adhæret lateri, eum ubique comitari, laudare, & omnibus amoris argumentis officijsque demereri op-

tat, & contendit; mariti verò desiderio, quâ illam, familiam curare, domesticorum vitijs corrigendis insistere, domi in hunc finem se continere, cupere se non semel ostendit, ægrè obsequitur, quod in illa familiæ gubernatione plus difficultatis, quàm voluptatis percipiat?

An non triplex hoc amantium genus non verum amorem, sed amoris umbram affectari meritò dixeris, cum prima sinceri perfectique amoris nota sit, idem cum amico velle, idem nolle; atque in hanc sententiam clarissimorum virorum & omni sanctitate præcellentium judicia concurrant. S. Pater Ignatius vir cælesti luce præditus, in Exercitiorum libello, documentis sublimibus refertissimo, in illa aurea cõtemplatione, quam inscripsit, de Amore divino; animum contemplantis cælesti flammâ succensum, in hos affectus prorumpentem inducit: *Suscipe, Domine, universam meam libertatem: accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem: quidquid habeo, & possideo, mihi largitus es: id totum tibi restituo, ac tua voluntati prorsus trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia mihi dones, & dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.*

11. De eo S. Ignatij doctrina. S. Franciscus Xaverius Indiarum Apostolus, & inter S. Ignatij filios longè charissimus, Patrique simil-

Q3

11. De eo S. Ignatij doctrina.

12. S. Francisci Xaverij.

INNE
UN
OGGE
orendi
rum
VI. M

simillimus; hanc ad calcem literarum precationem apponit, genibus flexis illam deprecans, ut sibi impetret gratiam ad Dei cognoscendam voluntatem, eamque perfecte adimplendam.

Et Balthazaris Alva-

P. Balthazar Alvares, vir in orationis cæterarumque virtutum disciplinâ exercitatissimus, optimam altissimæ contemplationis clausulam esse dicebat, se suaque omnia divino arbitrio permittere.

Et S. Aldegondis.

S. Aldegondis eodem sancti Spiritus lumine illustrata, cum à B. Virgine ei fieret optio petendi, & impetrandi quod vellet, hoc unum postulavit, ut sibi ex Dei regula, & præscriptione dirigerentur omnia, suam suorum in eo positam esse desideriorum summam, ut voluntas Dei in se compleatur.

13. Contrarium fecit sponsa in Cant.

Quantæ verò sit prudentiæ, nunquam ab hac divinæ voluntatis regula deflectere, nos errore, & damno suo sponsa in Canticis Salomonis docuit, quæ dum quietis nimium amans, & curarum pertæsa, & nihilominus ad labores, & curas à sponso invitata hæret, & cunctatur, & pulsanti ostium non continuo aperit; illo abeunte advertit quàm salubrius, & conducibilius sit, sponso morem gerere, & eo duce cuicumque labori & negotio incumbere, quàm quietis voluptatem consecrari: in

Suo damno.

illa enim nihil nisi myrrhæ amaritudinem percepit, & licet tarditatis suæ pœnitens, & sponsi insistentis vestigijs, quietisque dulcedini valedicens, circummeat laboriosè civitatem; verberatur tamen, & vulneratur, & amittit pallium, hoc est sponsi protectionem: tanti est à Dei voluntate vel exorbitare tantillum. Sapientior deinde evadens, ita vineam, quam ei sponsus assignarat, studiosè excoluit, ita laboribus diligenter incubuit, ut vineæ suæ culturam, regni alicuius procuratori anteponeere videretur. Operi continuo insistit, à vinea oculos non avertit, operarios urget, ut bene sepiatur, invigilat, summo mane in agrum egreditur, ut videat an illa floruerit, sponsum ad eam visendam invitat; non lucri causâ laborat, neque ut mille pacificos, hoc est mille florenos congerat; sed omnem sui laboris fructum, omnem vineæ proventum, ei cedit, cui amorem suum, vitamque universam dicatam, consecratamque voluit: ita se gerit anima perfecte Deum amans, quæ vel minimum eius nutum omnibus blanditijs, & vitæ innocentis voluptatibus præfert, omnesque delicias suas in eius voluntatis præscripto adimplendo collocat.

Magnum solitudinis solem Sifois, cum apud illum unum aliquem è Monachis magnis laudibus

14. Sifois cl. fatum de code. m. bus

bus nonnulli in cælum efferrent, quòd còtinuà Dei præsentia frueretur, dixisse ferunt; non esse magnum interioribus oculis Deum semper præsentem intueri; sed hoc magni faciendum, si se sub omnium pedibus aliquis conspiciat: innuens in uno plus inesse difficultatis, quàm in altero, quod magis cum hominum ingenita propensione pugnare videatur. Ego verò utriusque meritò prætulerim illum, qui se ita omnilibertate abdicavit, ut aequè paratus sit sub omnium pedibus abijci, atque conculcari, ac supra omnium mortalium verticem extolli, Deo ita volente, acceptaque ab eius imperio iussuque dominandi auctoritate, atque potestate: etsi enim id viri Sancti remis, ut ajunt, velisque effugere sunt conati, nunquam tamen ubi ita Deum velle cognoverunt, obstiterunt eius voluntati; vel obstitendi pertiniaciã se non esse sanctos ostenderunt. S. P. Ignatius omni contentione gubernationem Societatis excutere conatur, ubi tamen Dei voluntas per eum, qui illi erat à Confessionibus, innotuit, continuo oneri humeros submittit. Joannes S. Birgitta frater ardenti desiderio in bellum sacrum ferebatur, & jam inter cruce signatos nomen dederat: Rex obicem ponit, eumque vice Regis imperio, & Provinciã unius administratione

implicare contendit: Birgitta continuo ad preces confugit, moneaturque à B. Virgine, fratri ut persuadeat Vice Regis dignitatem acceptet, belli sacri voluntatem suã apud Deum mercede non frustrandam. Sed aliter accedit Religioso Cisterciensi honoris simul, & oneris fuga: electus ille erat in alicuius cenobij prælatum, anxius ad S. Liduinam accurrit consilij petendi gratiã, tum quòd solitudinis sui & secessus amore teneretur, tum quòd se imparem tantæ dignitati crederet: Virgo sancta Deo prius consulto, suadet onus non refugiat, sed divinã se conformet voluntati. Huic consilio, nimio quietis illectus amore, miser non acquiescit; quod magno illi stetit, ut post ipse narravit: tot enim calamitatibus jactatus deinde fuit, ut experimento didicerit (sic enim fatebatur) Deo placere honorem ex Dei voluntate susceptum, quàm ex humilitate palliata nimis obstinata repudiatum.

16. Dei iudicium.

17. Contrarium facientis poena.

15. S. Ignatii exemplum.

14. Jois etum de dem.

CAP.

CAPUT XXV.

Quomodo Amor perfectus
hanc cum voluntate Dei
conformationem varijs
modis exerceat.

1.
In tribus
consistit
voluntatis
confor-
matio.

Mihi ipse consentaneus non
sim, si illum omnes confor-
mationis istius numeros implevis-
se dixerò, qui Deo se dedens mil-
lies cum Regio vate per diem di-
xerit: *Paratum cor meum Deus, pa-
ratum cor meum*; & hac officiosa
sui exspoliatione contentus, ibi
pedem fixerit, nec ad particularia
ad perpendiculum voluntatis divi-
næ componenda ac dirigenda des-
cenderit, quæ vitæ nostræ telam
universam contexere mihi videntur,
hisque tribus verbis compre-
hendi: *Agere, Abstinerere, Pati.*

2.
In agendo.

Primo itaque oportet ut no-
strum *Agere*, quàm latè patet,
grande, parvum, arduum, aut fa-
cile, non summatim, sed sigillatim
& ad actiones singulas ad divinæ
voluntatis regulam libretur, atque
concinnetur. Inter difficillimas a-
ctiones S. Bonaventura numerat
inimicorum dilectionem; hanc
quia à Deo imperatam amor per-
fectus, quamvis repugnante natu-
rà, ab homine impetrare conatur;
nec ab hac resistentia pervin-

cenda antè desistit, quàm victor
evadat, & si ita res postulet, non
tantùm aliquam fortunarum ja-
cturam subire, sed mortem etiam
subire pro inimico sit paratus.

Difficilis fortassis alicui videbitur
actionum etiam minutissima-
rum accurata cum Dei voluntate
conformatio, non quòd illæ se-
junctim consideratæ aliquid diffi-
cultatis contineant: sed quòd
cum tam frequentes sint, & nume-
rosæ, singulisque propemodum
momentis se ingerant, miram
quandam diligentiam, animique
continuum attentionem exigere
videantur. Multum exagitat ho-
minem tanta vigilandi, tamque ex-
acta super minuta, fugitivaque ex-
cubandi necessitas: inest homini
captivitatis ingens odium, & li-
bertatis congenita cupiditas; ut
verò intellectus ad omnia particu-
latim attendat, & voluntas in illis
semper velit, quod Deus vult, o-
portet, ut utrique frænnum iniicias,
& utramque illam animi faculta-
tem à suis diverticulis cohibeas, ne
fortè minùs advertenti aliquid
contra aut præter Dei voluntatem
actionibus se affricet, atque per-
miscet.

Quàm præclara horum omnium
exempla reliquit nobis JESUS
Christus! nullum ex eius ore ver-
bum prodibat, nisi ad voluntatis
paternæ regulam examinatum;
A meipso, inquit, non loquor: nulla
actio

3.
Etiam mi-
nima.

4.
Exempla
Christi.

actio nisi divinis præscriptionibus conformis. Matri mutationem aquæ in vinum postulanti respondet: *Non dum venit hora mea*; quam scilicet Deus illi præscriperat: sic & propinquis ad iter Jerosolymitanum capeffendum provocantibus: *Nondum, ait, venit tempus meum*: atque hunc agendi modum viris sanctis etiam fuisse familiarem, ex historijs cognoscimus, qui actiones suas ad voluntatis divinæ nutum ita conformabant, quasi in eorum etiam minimis totius mundi cardo, omniumque hominum salus verteretur: similes Pictoribus, qui suum studium non tantum in præcipuis imaginis partibus bene efformandis collocant, sed minimas etiam res, ut capillitium, herbulam, folium accuratè depingunt; ut nihil sit in quo spectantis oculus majorem diligentiam & perfectionem requirat. Palmas Indicas ferunt in se nihil habere, quod non sit admodum utile, & exquisitum; truncus, radix, cortex, fructus, folia sua se cum comoda deferunt: ita in hominibus illis perfectis, omnis actio, omne verbum, motus omnis laudis materiam propius intuentibus præbet: inter quos S. Patrem nostrum Ignatium repono, si repono, id mihi cum ratione facere videor, in quo tantam omnium actionum accuratorem notarunt, qui eo familiariter usi sunt, ut illum nec

oculum vertere, nec manum movere nisi ex præscripto rationis crederent. Atque hanc ipse exquisitam diligentiam in suis etiam exigebat, ut in Patre Oliverio Manaræo (qui hoc ipsum literis tradidit) prudenter ostendit. Mittèbatur ab illo Manaræus, ut Laurenti primum Rectorem ageret, & cum valediceret, apud se reputans, Sanctum Patrem non amplius in terris à se videndum, volensque altiùs totius oris ipsius conformationem ac lineamenta memoriæ imprimere, in eius vultum aliquantulum defixit oculos. Quod bene advertit vir sanctus, & reprehensione dignum censuit; nolensque in præfenti id facere, cum jam Manaræus è vestibulo Domus pedem efferret, Patrem Polancum ad eum misit, qui suo nomine hæc illi diceret: Animadvertit Pater noster te in discessu in eius vultum aliquantisper defixos oculos tenuisse, cumque id in subdito minus decens esse, & pugnare cum modestia & reverentia superiori debita censeat, tria tibi mandat. 1. Ut diebus singulis examines, an illo die oculos defixeris in aliquè, cui reverentiam debes. 2. Ut in poenam aspectus hodierni, quotidie dicas unum *Ave Maria*. 3. Ut singulis septimanis ad ipsum rescribas, an duo priora fueris executus. quod quindecim mensibus observavit; tum enim, vir sanctus

Manaræum reverentiam

R. ctus

5. Simile à pictorib.

6. Exemplo S. Ignatij.

ctus illi rescripsit, sibi factum esse satis.

7.
In abstj-
nendo à
licitis.

Sed veniamus ad difficiliorem meo iudicio conformationis materiam, quam verbum secundum importat, nempe *Abstinerere*: quo significatur, Amantem non tantum se continere ab ijs, quæ cum peccato minimo conjuncta sunt, sed præterea nihil sibi licere velle, nihil permittere, quod non divinæ Majestati probetur quàm maximè: si id à se non impetret, à perfecta amoris lege aberrasse se putat; in quo latissimus exercendæ constantiæ, & rerum omnium despicientiæ campus aperitur. S. Carolum Borromæum ab aspectu per fenestram, ab hortorum amœnitatibus, vel unico oculorum jactu conspiciendis abstinuisse legimus. S. Eusebius apud Theodoretum annis quadraginta, neque cæli, neque viridantium camporum prospectu oculos pascit. Abbas Pior Antonij discipulus intra remotos ab hominum consuetudine solitudinis secessus se abdens, puteum effodit; aquâ qualicumque, quam ille subministraret futurus contentus, salsam invenit & saporis maligni: illâ triginta annis, non aliâ pro potu utitur. S. Sabbas à pomorum esu toto vitæ decursu abstinet. Sexcenta sunt huiusmodi per virorum Sanctorum historias dispersa, quæ non tam sibi illos vixisse, quàm per quamdam ab om-

Exemplo
S. Caroli
Borromæi.

S. Eusebij.

Alterius,

S. Sabbæ.

nibus rebus delectabilibus abstinentiam, Dei oblectationi studuisse demonstrant.

Ad eundem modum se gerunt in tertio, quod *Pati* nominavimus, in quo id maximè deligunt, quod patientiam exercet quàm maximè, & in tolerando eam animi firmitatem asserunt, quam divinæ majestati potissimum placere arbitrantur. In quo genere mihi videtur excellere P. Petrus Faber, primus è Sancti Ignatii sectatoribus, & dignus tanto Parente filius; cuius de patiendo impositum sibi à seipso decretum dignum est quod aureis literis posteritati mandetur. Ita se habet: Primò patiar æquanimiter quidquid mihi acciderit, exile, arduumve fuerit, ab amico æquè ac ab inimico mihi illatum; factò vel verbo, atrociter & contumeliosè, vel cum moderatione irrogatum: quomodo cumque fuerim tum animo dispositus, lætus vel tristis, ab oratione confirmatus, vel negotiorum oppressus molestijs, feram verò non tantum modestè, sed hilariter, & inferenti gratias habebò, & pro illo numen deprecabor, quo excelsus assurgere possit Amor patiens, & amans Deum patientia; non video qui hæc ad amissim servaverit, meritò proponi potest in exemplum & incitamentum patientiæ.

Verùm Amans ille perfectus in his

8
In patien-
do.

Exemplum
Petri & Pauli

In his
tende
verbi
modu

1
In q
pecc
unus
Lud
Soci
gen
hor
evag
ne.

Sup
à D
me
tes,

9

In his at-
tende ad-
verbia, seu
modum.

his omnibus, nō tam verba, quā
adverbia præ oculis habet : non
tam quid agat attendat, quā an
bene, an accuratè, an reverenter, an
circumspectè id faciat ; studiosè
considerat atque ut in vestitu cor-
poris non tam vestis materiam,
quā formam, & concinnitatem
homines æstimant : ita non tam
quod vult Deus, sed quomodo
vult rem fieri, quicumque eius
gratiam affectat, circumspicit. Sa-
cerdos aliquis dum horarium
pensum perfoluit, facit quod Deus
vult, sed quia sedens, quia tecto
capite, quia vago interdum animo,
ad solum verborum corticem at-
tento id facit, parum apud Deum
gratiæ promeretur, parum defert
eius voluntati ; qui actiones no-
stras ad divinæ perfectionis ex-
emplar conformari desiderat, dum
dicit : *Ut sitis perfecti sicut Pater ve-
ster celestis perfectus est.* Hinc S. Lud-
gerus, dum in itinere in hospitio
cum suis comitibus alternis Ma-
tutinas preces recitat ; graviter
unum ex illis finitis precibus re-
prehendit, quod dum recitarent,
ut fumi molestiam abigeret, se
componendis foci lignis aliquan-
tulum occupasset. Magnus ille Si-
meon Stylites, jam annos com-
plures in illa sua columna mundo
demirante, & plaudente cælo per-
sisterat, sed invidente dæmone, &
Dei voluntatem fallaciter emen-
tiente propemodum concidit : hic

specie Angelicâ velut Dei nuntius
hominem aggressus, monet Deum
velle, currum, ut olim Elias, con-
scendat aliò avehendus. Ille pa-
rendi studio pedem levat : quid
agis vir sanctissimè? ad verbia non
satis observas, minus circumspectè
te geris, nimis præcipitanter ad
currus conscensionem te accin-
gis. Advertit ille, Deo malum ape-
riente, se temerè procedere, cru-
cisque signum hærens tantisper ef-
format ; ad cuius conspectum præ-
stigiator aufugit : ipse verò hanc
ut temeritatem, & præcipitis ani-
mi consilium castigaret, pedem,
quem levarat, anno integro sus-
pensum tenuit, toto illo tempore
uno tantum pede subsistens.

» Maria ab Incarnatione sanctis-
sima mulier dum adverbio, *rectè*,
minus attendit, & altissimo fini
obliquam proprii commodi in-
tentionem admiscet, tanquam vi-
tiosè factum à Deo reprehendi-
tur, res accidit : opifici pauperi, &
ægro eleemosynæ nomine aliquid
largiebatur, subiit mentem illi
hæc cogitatio : potius illi, quā
alteri gratiam illam faciendam,
quod ad domesticas necessitates
eius opera usui esse posset ubi Deo
cor eius collustrante hoc amoris
proprii commentum animadvertit,
culpam agnovit & lachrymis
ac animi poenitudine maximâ di-
luere conata est : amor scilicet per-
fectus hanc labeculam diu ferre

II.
Maria ab
Incarna-
tione.

R 2 non

10.
In quo
peccavit
unus è S.
Ludgeri
Socijs le-
gendo
horas cum
evagatio-
ne.

Sumantur
à Deo Si-
meon Styli-
tes,

12.
Sisois.

non potuit. Sisois ille solitariorum celeberrimus cum inter orandum alio præsente per incogitantiam susperium emisisset, se ipsum incusavit vehementer, & Monachi nomine indignū professus est, quod alium perturbasset, & interiorem ardorem minus circumspicere suspirio prodidisset.

Ioseph.

Neque in his nimis anxie processisse viros istos sanctissimos arbitremur, quandoquidem huiusmodi naves, & levissimas culpas feveris castigationibus à Deo punitas esse videamus. Iosephus in carcere quasi Deo non satis confisus, dum Pincernæ apud Pharaonem preces & gratiam emendicat, duorum propterea annorum in ergastulo pro rogatione multatur. Moyses vir si ullus unquam apud Deum gratiosissimus, dum Israelitis aquam postulanti- bus, hæret anxius, & de Dei bonitate, ac in Deum rebellem totiesque refractarium clementiâ dubitat, neque pro Deo satis constanter agere eiusque partes tueri videtur, à terræ promissæ ingressu prohibetur, & in eius conspectu mortem oppetit. Sexcenta sunt huiusmodi divinæ animadversionis exempla, quibus omnibus sæculis ostendit Deus omne mortalium bonum in perfecta cum sua voluntate conformatione consistere.

Moyse le-
gistor.

C A P. XXVI.

Perfectissimam conformationem voluntatis humanæ maximè elucere in continuis cum amore proprio conflictibus.

EAdem est animorum ratio, quæ Regnorum: quidam pace altissimâ fruuntur, nec est hostis qui intra vel extra tumultuetur & perturbet; non intra appetitus concupiscibilis, quia ille in suis desiderijs rationis arbitrio se accommodat; non irascibilis, quia nec ille fugit aut abhorret, quod ratio suscipiendum ostendit; sed in omnibus ad instar equi perdomiti fessoris manum ductumque uterque pacificè sequitur: sensus etiam victus & propemodum debellatus aliquid attentare audet, nec novis victorijs & triumphis materiam præbeat. Alij verò, etsi ad eundem amoris gradum provec- ti, alio modo se habent: continuò in acie versantur, indefessè excubant, intus seditio, foris conjuratio, omnia in tumultu, sensus interiores frænum excutere nituntur; appetitus perturbatò se commovent, imagines omnis generis à demone immissæ phantasiâ irrum- punt; continuis impressionibus, &

& affultibus fatigatur animus atq; in eius inferiori parte confusa est tenebrisque permista concertatio; in superiori verò parte Dei amor cum ratione velut ex arce ad omnia vigilat, pro Deo stat fortiter, nec minimam defectionem, aut ab eius voluntate diffensionem admittit, quinimò colloquium omne cum adversario respuit; atque hic opus, hic labor, est. Per hæc verò difficultates amor ille perfectus fidem suam erga caelestem Imperatorem probat quàm maximè. Olim ut Paphnutium, uti supra memoravimus, à fide Christiana Tyrannus abduceret, formidabilissima pro cruciandis Martyribus instrumenta ante eius oculos exponi iussit; ad quorum conspectum risit Paphnutius, & tyrannum irrisit dicens: An putas vafane, Monachum in horrore solitudinis diu versatum similibus rerum aspectu posse terreri? scito terribiliora nobis fuisse cum dæmonibus certamina, hæcque omnia, vix mihi eorum umbram præsentare.

3. Alij in pugna, sed invicti.

4. Ut Paphnutius in aspectu tormentorum.

5. Militia est vita hominis.

centem; se non pacem, sed gladium mittere; dubio procul, ut illo in certaminibus utamur, cumque hostes foris vigilantissimos, & domi perfidos ac perduelles experiamur, & quidem hos nullâ arte, aut prudentiâ pacabiles, adeò ut S. Ægidius audeat asserere, si quispiam vel mille annos perstet in vita, neque aliud toto isto tempore agat, quàm secum pugnare, se vincere, & naturæ vitiatæ corruptellam emendare; habituram tamen post tot annorum lapsum, quod corrigat, & hostes quibuscum configere necesse sit.

6. In qua incerta quies.

S. Teresa ad viam virtutis constanter tenendam majoribus animis opus esse aiebat, quàm ad breve martyrium subeundum: atque ad hoc accedendum animo ita comparato, ut toto illo tempore cum difficultatibus lucteris, tâtoque majores progressus facturum te putes quanto animo ad patientiam melius disposito ad orandum accesseris.

7. Firmior martyrio.

B. Magdalena de Pazzi eodem magistro Spiritu sancto edocta dum novitias suæ curæ commissas instruit, seriò monet, ne in via perfectionis aliud quàm cruces, angores, ariditates, & pugnas expectent, in ijs rectissimum ferendis & pervincendis virtutum præstantiam spectari, imbelles illas esse & Christiano nomine indignas, qui aliâ viâ ingredi volunt,

8. Ubi ferendæ cruces.

9. Exemplo Christi.

R. 3 quàm

quàm illa, quam Christus suis vestigijs consignavit: proinde ad ista terriculamenta non frangerentur animis, nec pedem referrent, sed contra obsisterent, & victoriarum materiam capesserent.

10.
Ad eius
libitum ut
milites.

Quæ omnia etsi à divina Providentia dependeant, quæ non omnes paribus exercitationibus erudit, neque cum tot hostibus tanto tempore unumquemque committit: facitque quod fieri solet in Provincijs, ubi aliqui militum manipuli nunc ad finitima loca ubi frequentes sunt cum hoste velitationes, nunc ad interiora, ubi major quies, & nulli prope confictus ad Imperatoris arbitrium transferuntur; ita Deus nunc hos pacis dulcedine frui permittit, nunc in campum & aciem prodire, & cum hostibus manus conferere jubet. Stat stabitque semper hæc inconcussa veritas, virtutem, fidemque subditi erga suum Principem diuturnâ in rebus arduis periclitatione inclarescere.

11.
S. Xaverij
constancia
in oble-
gationis,
Sinenfis.

Animum ingentem in S. Xaverio in superandis Oceani fluctibus totitque itinerum molestijs pervincendis, pluribusque formidolosis cum dæmone eiusque satellitibus certaminibus omni admiratione dignum judico, sed si quis propius res ab eo præclare gestas examinet, in eam mecum sententiam veniet, nunquam eius animi magnitudi-

nem, atque constantiam, nunquam fidem in Deum, & cum divina voluntate conspirationem, atque consensum magis claruisse, quàm cum summo studio & magnis ab amico factis impensis adornata ad Imperatorem Sinensem legatio, unius Malacensis gubernatoris avaritiâ disjecta, dissipataque est, spesque maximarum rerum everte penitus, atque labefactatæ: quam cum deinde instaurare conaretur factâ cum Monarcho Sinenfi conventionem, ab ea etiam illusus atque deceptus, dæmone quodammodo de illo triumphante, suam nihilominus ipse constantiam animique firmitatem inconcussam retinuit, & omni voluntate ad pedes Christi depositâ Xaverius ipse de Xaverio triumphavit. Ipsemet etiam Dei Filius tum maximè quantum Patris sui mandatis adhærederet, quantum eius suspiceret voluntatem, ostendit, cum in extrema cum morte lucta spiritum, animamque in manus Patris deposuit, eiusque usuram omnem paterno commisit arbitrio. Nemo nostrum Petrum in Monte Thabor tabernacula construere postulantem demiratur; sed in horto somno correptum, & in palatio perfidum, & prævaricatorem, ubi maximè magistro suo agglutinari illum oportuit, omnes reprehendimus.

S. Hugonem Episcopum Gratia-

S. Hugonis
in tenta-
tione def-
perationis.

tianopolitanum non tam vitæ
sanctimonia & miraculorum fre-
quentia apud homines celebrarunt,
quàm apud Deum & cælites illu-
strem reddidit patiens, & permo-
lesta toto vitæ decursu cum des-
perationis cogitatione, Deo eam
permittente, concertatio, quam
ipse in punitionem admissi Epif-
copatus inflictam sibi à dæmone,
Dei arbitratu existimabat, eaque
de causâ à Nuntio Apostolico ad
Summum Pontificem adductus
esset, ab illo, qui jam eius certamen
didicerat, ad constantiam & cum
voluntate divina consensionem
est animatus; monebat Pontifex,
videret etiam atque etiam, ne præ
metu animique molestiâ, tantillum
hosti cederet, Deum hoc argu-
mento ostendere, quanti illum
faceret, & quanto amore profe-
queretur: ab eo eiusque assidui-
tate in animarum lucro procuran-
do metuere sibi dæmonem, & vel-
le impedimentum adferre; sed
dâno suo & probro, & eius gloriâ
& triumpho, qui tanto tempore
tam importuni hostis molestissi-
mos congressus sustinuisset for-
titer, & generosè repressisset; quo
res est difficilior, amorique pro-
prio infestior, eò gloriosior est in
ea ferenda vel superanda cum vo-
luntate divina conformatio.

13.
Et alterū
respuentis
consola-
tiones.

In Bloisij Abbatis Latienſis cæ-
lesti doctrinâ refertissimis monu-
mentis legimus virum sanctissi-

mum cùm post annos quinque
perpeſſas ariditates spiritus, men-
tisque profundissimas tenebras,
venisset ad illum Angelus solamen
de cælo deferens. quò defluentes,
ex oculis eius indefinenter lachry-
mas abstergeret; noluisse quid-
quam solatij, vel levaminis admit-
tere; sed ad Deum conversâ pre-
catione dixisse: Domine Deus,
nullam à te consolationem nullum
lenimen efflagito, mihi abundè
est, si tibi in corde meo integrum
locum reservavero, ne in illud
furtivè irreat, quod tibi displi-
cere possit. Quo responso plus
ille apud Deum acquisivit gratiæ,
plus sibi peperit honoris & gloriæ,
quàm si omni lætitiæ & volupta-
tum affluentia redundans, magnâ
apud homines etiam sanctimoniz
opinionem sibi conciliaſſet.

Generosas animas amat Deus;
illas verò, quæ querelarum plenæ,
ubi omnia ex voto non fluunt, ha-
stam abijciunt, ferre non potest: si
illis in oratione hæret aqua, si ra-
dius cælestis solito more non af-
fulget, si calor ab igne Spiritus
sancti excitatus deferbuit; si in-
crutiâ quâdam & desidiâ licet in-
vitè omnes animæ facultates ob-
torpescere videntur, continuò
contentionem omnem remittunt;
neque arcanis Dei consilijs se re-
gendas, ut par est, permittunt,
quasi meliora essent à Deo pro-
meritiæ, vel suo arbitratu, non verò
summi

14.
Nec causæ
seus id
metum
culpæ.

12

15.
Sed recur-
ras ad
Deum,

16.
Exemplū
Virginis id
facientis.

summi Impetratoris vellent gubernari. Neque mihi dicant se longè à similibus cogitationibus abesse; sed suam in his culpam, vel negligentiam tantum pertimescere. Si scirem, ajunt, nullum in hoc negotio peccatum à me committi; sed meram esse à Deo meam patientiam periculationem, continuo acquiescerem, & divino me arbitrio planè subijcerem. Fateris ergo ignorantiam tuam, & an omni culpam vaces, nescire te profiteris: supplex igitur ad divinam misericordiam pedes accide, & ab illa lumen efflagita; tum quidquid in te Deo non placet detestare, & tuum velle nolleque eius imperio prorsus submitte, & conquiesce, tibi que persuade hanc ad Dei arbitrium voluntatis tuæ humilem conformationem, molesto & inquieto conscientiam tuæ examini gratiorem multò futuram. Audi modò ex eodem Blosio de Virgine eminentis sanè virtutis memorabilis ad divina placita submissionis exemplum. Hæc animi angustias, & à Dei amicitia velut avulsionem tam acerbam patiebatur, ut pares inferiorum tormentis pœnas suas esse crederet; inter hæc hoc solum Deo dicebat: Memento, quæso Domine, te Deum meum esse, meumque conditorem, meque tuam esse pauperulam creaturam: tuo ego me arbitrio planissimè committo, atque subijcio pro tempo-

re & aternitate, hosque angores perferre sum parata duratione interminabili. Non se contenuit hic Deus, quin animam ita humilem, & ad suos nutus obsequentem donis ornaret amplissimis, & ad cælestes delicias abundantissimè fruendas raptibus iteratis elevaret: sed tamen amorem istius Virginis in Deum priores angustiam, quàm posteriores deliciae testatiorem & illustriorem reddidère.

Cum ego hos amoris divini pugiles in medijs calamitatibus, & malorum incurribus ad Dei iussa persequenda tam constantes intueor, videor naviculam aliquam rupi alligatam furiosam tempestate agitari, & hinc undis, inde ventis, cœlique fulminibus & tonitru in eius ruinam velut conspirantibus huc illuc propelli, fluctibus prope convolutam absorptamque à submersione tam propius abesse quæ suæ nihilominus rupi funibus integris inter hæc firmiter adhærescit: aut Ducem aliquem intueri qui ab hoste victore, in arcem compulsus, & omnibus machinis, cuniculisque impetitus, & de deditione sollicitatus, constans tamen in sui Principis fide, se arcemque fortissimè defendit, mori paratus, suamque erga Principem amorem generosam sanguinis profusione testari. Hæc est istorum pugilum imago.

Sed contingit interdum, ut Deus

17.
Quo fre-
atu.

18.
Simile à
navi.

19.
Aut danti
obscuro.

20.

17. Quid in
extremis
angustijs
faciendum

Deus pugilem suum tractet tam duriter tantaque in eum severitate utatur, ut eum hostis loco habere videatur: quid tum pauperculus ille quid agat? quò se vertat? ad quem perfugiat? quam aram apprehendat? atque hic est supremus perfectæ conformationis actus: consilium meum verbo expedio; ille tum ut reus fune collo injecto, ac humi prostratus perduellionis crimen agnoscat, Dei clementiam appellet, Christi vulnera misericordiam deprecetur, seque totum divino submittat arbitrio. Nò autem hortari, ut cum duabus ex ordine S. Dominici Virginibus, de quibus supra, ita Deum alloquatur: Nolo Deus meus vel ad ictum oculi esse in celo contra tuam voluntatem, nec inferorum tormenta recuso, si ita tuo placitum est arbitrio; ubicumque fuero, amori tuo me meque omnia consecrabo. Quia si tum sanctissimum illud, & inter Heroes reponendum Cœnobitâ imitemur? qui cum omnia Monasterij bona divinæ Providentię subjecisset, sui ipsius etiâ curam abjecit, seque totum Deo permisit pro tēpore, & eternitate; dicens: Si scire divino decreto jâ constitutum, ut ad inferos detruderet, nollē vel unico momēto Dei voluntati obistere, & si possem dicendo unum *Pater & Ave* decretum illud evertere aut immutare, non facerem; duo tantum Deum rogarē; unū, ut totâ æterni-

21. Exemplū
robustæ
constan-
tię.

22. Eius fru-
ctus pa-
tratio mi-
raculorū.

tate sanctissima eius voluntas in me impleretur: alterum, ut mihi eâ faceret gratiâ, ne unquam vel minimam cogitationem contra eius decreta admitterem: quam animi demissionem & precationem iterabat quotidie; ut nulli mirum esse debeat, si Deus hominem frequentibus miraculis honestarit, cum tanta animi excelsitas, & magnitudo summum sit ipsa miraculum.

Est præterea in huius conformationis exercitatione aliquid ^{23.} non ita obvium, in quo tamen ^{Ne plus velis posse quam Deo videatur.} amor industrius reperit, quo Dei benevolentiam magis ac magis sibi conciliet; cum nimirum non vult plus posse, quàm Deo collibitum est, cum in cogitationes suas, & partis inferioris motus precario quodammodo utitur imperio, neque inde mœrore conficitur, sed in Dei volūtate conquiescit, quod à Seneca Philosophiâ duce ac magistra factitatum legimus, qui ad Lucillum scribens ita loquitur: *Si quid non possum, non posse me gaudeo.* Non mirum videri debet, si in tantâ altitudine animi summa sit pax atque tranquillitas; ut enim in suprema aëris regione nec tonitrua, nec fulgura, nec aliæ aëris agitationes aut perturbationes fiunt, ita animus tam excelsus, tanique ad Dei arbitrium formatus atque compositus, omni commotione vacuus altissimâ pace & inconcussâ perfruitur; quò Luna terræ ob-

S versis

versa obscurior est, eò altero sui dimidio quò solem respicit, illuminatior est: ita quò magis rebus adversis conflictatur animus Deo conjunctus, & calamitatum tenebris involuitur, tantò magis à Deo radijs cælestibus illustratur, & ex ipsa quodammodo infelicitate, ad ipsam felicicatem & veri æternique boni possessionem emergit. *Inter aspera*, dicebat Salvianus, *nulli lasiores, quàm qui hoc sunt, quod volunt.* A propria enim voluntate & proprio arbitratu, cum Deo non benè consentiente omnem mentis agitationem & perturbationem oriri, dixit aliquando Catharinæ Senensi omnis veritatis auctor Jesus Christus: sed & magnus ille cælestis doctrinæ Magister, & institutor B. Franciscus Sales mentem nimis ardentibus perfectionis desiderijs agitaram & in virtutum studio perturbatè agentem, nò à Deo impelli, sed amoris proprii motibus & stimulis agi existimabat; quo etiam in numero ponebat eos quibus non satis est cogitationibus aut motibus perveris non assentiri; sed volunt eos etiam non sentire, quasi de cælo delapsi, ab Adamo, eiusque vitiata stirpe genus non ducerent.

Lib. 1. de Provid.

24.
Quia hoc est ab amore proprio.

CAPUT XXVII.

De Uniformitate, & Transformatione.

Uniformitatis, & Deiformitatis voces à Dionysio Areopagita accepimus, Transformationis ex S. Paulo assumpsimus. Uniformitas nihil aliud est, quàm tanta voluntatis humanæ cum divinâ conformitas, ut duas istas voluntates in unam coaluisse videantur; sicut cum amicitiam perfectam consummatamque significare volumus, unam animam in duobus corporibus habitare dicimus. Deiformitas paullò clariùs indicat Dei voluntatem humano dominantem arbitrio, illud ita sibi subjecisse, ut homo non jam operari, sed Deus in illo & per illum agere videatur. Transformatio idem ferè significat, non quòd natura voluntatis humanæ in divinam transformata suam esse amiserit; sed quòd qualitates alias longè præstantiores induerit, & ad modum agendi sublimiorem ac propè divinum evecta sit: quod à S. Bernardo, alijsque varijs similitudinibus explicatur.

Primò guttulæ aquæ in dolium vini potentissimi conjectæ, quæ brevi tempore, vini colore, & sapore,

1. Quid Uniformitas

Deiformitas

Transformatio

2. Similitudo

pore, & calore ac agendi facultate imbuitur. 2. Ferri igne candescens, quod obscuritate, rigore, & frigore deposito, ignisque qualitatibus assumptis clarum, flammum ac collucens, & flexibile, ac urens evadit. 3. Aëris, qui radijs solaribus perfusus aliam formam induisse videtur, ab eâ quâ nocte per Solis absentiam tenebris obseptus credebatur; quod ipsum in vasculo crystallino dilucidius apparet, quod è loco obscuro extractum, ubi Soli exposueris, tanto splendore continuo perfunditur, ut ad instar exigui Solis intuentium oculos perstringat. In hunc etiam finem vaporum levitas, atque agilitas profertur in medium, qui cum è terrena crassaque materia conflati, calore tamen Solis subtiliores effecti, in altum elevantur, & in mediâ aëris regione eas agitationes, motusque concient, quos ignis eò commeans vi caloris prædominantis excitaret. Sic animi illi perfecti amoris virtute in Dei voluntatem quodammodo transformati, eius etiam agendi modum induerunt. Quod ut exprimeret verbis, quod reipsâ experiebatur Paulus Apostolus, dixit: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus.*

3. *Idea hominis in Deo transformati,*
Primò intellectus in illis divinâ luce perfusus intentis semper æternam Veritatem oculis intuens, & in ea defixus, falsis rerum cadu-

carum imaginibus non abducitur, sed ad veri possessionem mentis aciem studio indefesso convertit. Voluntas verò ita incommutabili bono fortiter agglutinata est, ut nullâ prorsus fugientium voluptatum titillatione vel tantillum commoveatur: appetitus verò concupiscibilis longo jam imperdomitus ab delicijs, ut à scabie se continet; irascibilis quoque nullo jam difficultatum metu retardatur, sensusque omnes mirificè rationis imperium sequuntur. Amor sanctus jam omnibus subjugatis novam faciem rebus induit, Deus pacatè regis cordis folio confidens ab omnibus fidelitatis sacramentum accipit, summaque tranquillitate jus dicit, cunctis perlubenter imperata facientibus: & sicut olim Pharaò Josepho ad Vice-Regis dignitatem evecto dixit: *Ego sum Pharaò, absque tuo imperio non movebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti.* Ita in huiusmodi anima Deo ita volente, nulla se facultatum commoveat, nisi charitate jubente; imò Deo ipso ad suum beneplacitum omnia ordinante, & dirigente. Talem animam sortitum fuisse S. Bonaventuram arbitror, quem Alexander Alensis videri aiebat in Adamo non peccasse, quòd nulla in actionibus corruptæ per peccatum naturæ argumenta proderet, omniaque sua ad rectæ rationis

4.
Exemplum S. Bonaventuræ.

S. Ignatius.

Et alij.

5.
In quo
consistat
transfor-
matio.

pendiculum normamque conformaret, & nō tā hominis, quā Dei Spiritus in eo operaretur universa. Talem ferunt etiam fuisse S. Patrem N. Ignatium, de quo soliti erant dicere, qui eo familiariter usi sunt, Patres sapientissimi æque ac sanctissimi, gratiam illi velut connaturalem fuisse, à qua omnes corporis, animique motus divinæ regulæ conformes prodirent. Tales & Sanctorum plerumque omnes fuisse legimus, quos pro Angelis vel Seraphinis de cælo lapsis, & carneâ mole vestitis habuerunt omnes, qui amicitia vel consuetudine conjuncti eos observarunt; jam antè illos in suis animalibus depinxerat Ezechiel Propheta, qui ad instar fulguris coruscantis igneo amore succensis, ibant, & non revertabantur, & gloriæ divinæ currui agendo protrahendoque operam junctim impendebant: divinum aliquid præ se tulisse, & inde dos terrestres appellari potuisse merito dixeris. Unam quæso ex multis Teresiam videamus, divinitate ipsique expressam in illa imaginem propius intueamur, 1. Deus est impeccabilis, & Teresia mille potius mortes subituram se dicit, quā vel minimam peccati labem deliberatè contrahat. 2. Deus in agendo suam quam potest maximam gloriam spectat, & illa voto sancit majori divinæ gloriæ se in

omnibus actionibus intentam fore. 3. Deus semper sibi constat, nullamque mutationem accipit, & Teresia ita bono perseveranter adhæret, ut persuasum habeat, se ne levi quidem vanæ gloriæ afflatu infici, aut commaculari posse. 4. Deus semper est in seipso, & illa in Deo. 5. Deus erga inimicos clementiâ utitur & benefactis illos prosequitur, & Teresia adversarios suos amore complectitur, amicorumque loco habet, gratijs beneficiisque afficit. 6. Deus omnipotens est, & illa ita infirmitatem suam divinæ potentiæ astrinxit, & alligavit, ut satis sibi virium ad omnem hostium infringendam contumaciam, impetusque retūdendos esse existimet. 7. Deus immortalis est & illa mortem non timet, sed ambit & provocat, ut immortalitatem consequatur. Quod de Teresia in medium protuli, ita cum celeberrimis sanctis Benedicto, Bernardo, Dominico, Francisco commune est, ut in illa cæterorum sanctimoniam expresserim. Ad hoc fastigium perfectionis evehit generosas illas animas Amor sanctus, dum illas omni rerum inferiorum cupiditate vacuas, Deo, donisque cælestibus replet cumulatifsimè. Neque idcirco velim tibi persuadeas, eas ab omni prorsus labecula immunes, eximiasque fuisse: hoc enim esset ad Begardorum superbiam, super-

6.
Begardorum
&
Beguinorum
error.

superciliumque propius accedere, ob quam ab Ecclesia condemnati, & perpetuo anathemate confixi sunt: eousque illi processerant impudentia, & hominem tam altè in amoris perfectione provehi posse, distabant, ut ulterius progredi non posset; tum verò ab omni peccati sordibus expurgatum esse, nec ullam labem contrahere posse asseriebant, nullisque proinde astrictos legibus, sed filiorum Dei libertate donatos impunè agere posse, quidquid adlubesceret. Homines miseri, & inter fæces & monstra superbiæ meritò computandi, qui non vident vāsaniam suam vel inde confundi & jugulari, quòd ne quidem Apostolos suos Iesus Christus isto privilegio donarit, quos, ut notat S. Augustinus, quotidie peccatorum commissorum veniam petere docuit, dum iussit illos dicere: *Dimitte nobis debita nostra*. Sanctos omnes, dum inter huius vitæ corruptelas ad cælum properant, arboribus cum Christo meritò comparaveris, quæ fructus aliquos peccati deliberatè commissi veneno infectos rarò ferunt, malignæ tamen auræ afflatum omnem, aut vermiculi tacitam arrosionem semper vitare non possunt: sunt aliqui ex fructibus præmaturi & præcoces, sunt alij acerbi, ac proinde indigni qui divinæ mentis præsententur.

Neque etiam opineris hos amoris egregios pugiles nihil ultrà peti, quod omnibus iam animi passionibus edomitis, debellatisque hostibus Deum in medio cordis adinstar pacifici Salomonis præsentem circumferunt: Imò verò patiuntur quàm maximè, & plurima tolerant; sed perlubenter, & tranquillè, tanquam Dei sapientiæ amoreque emanantia, argumentaque singularis benevolentie, tanquam arrhabones promissæ felicitatis, cælestiumque bonorum prægustationem, & novæ dilectionis incentiva.

Cùm ad hunc Deiformitatis gradum pervenisset S. Paulus, & supremam huius vitæ in Deum transformationem esset assecutus, ita nihilominus frequentibus malorum incursum est agitatus, ut etiam tæderet illum vivere. S. Catharina Genuensis inter præstantissimas amoris divini sponas meritò annumeranda, tanto tamque exaggerato malorum pòdere opprimitur, vexatur, & propemodum fatiscit, ut ne Luciferum quidem (si pœnam damni excipias) inter inferorum tormenta ita cruciari existimet: habet enim suos etiam amor divinus equuleos. S. Teresa, cuius suprâ in comparatione cum divinis perfectionibus, in virtutibus eminentiam perspeximus, tantis tamen doloribus propè conficitur, dum sperata Dei

7.
Viri perfecti non desinunt pugnare & pati.

Patet in S. Paulo.

Et alijs.

fruitio differtur, ut pares toto vitæ decursu non senferit: erumpit illa in voces, & suspiria præ cruciatuum magnitudine, & audientes ad misericordiam commovet; jam jam dolorum violentiâ animam exhalatura, & hinc amoris vehementiâ desiderijque ardore, inde membrorum omnium convulsione moritura creditur: atque ubi paululum respiravit, ita corpus debilitatum fractumque persentiscit, ut triduo manum ad scribendum movere non possit. Si ab illa quæras, cur non divino beneplacito sponsi sui amplexus desideratos protelanti se conformet, totamque se illius non permittat arbitrio, respondebit sibi etiam id solatij ademptum esse, & quidem ad hanc cum divina voluntate cõsensionem aliàs semper velut ad patientiæ anchoram confugisse; jam verò suæ voluntatis suorumque desideriorum dominium sibi ereptum videri; unaque se cogitatione ac cupiditate sponso fruendi ita configi cruciarique, ut illam excutere prorsus non possit.

8.
Maxime
in B, Vir-
gine.

Si amoris divini vehementia tantum potuit in illos Amantes, quos quæso in corde Beatæ Virginis Mariæ in illa amoris fornace ardentissima doloris sensus excitasse putandus est, cum se filius ab eius subtraxit & aspectu & amplexu, cum se ille pompâ admirabili cælis inferuit, & illam solam reli-

quit in terris: latronem pauculas horas in cruce pendulum, & filio in tormentis associatum ad quinque aut sex verborum supplicationem æternis cum illo gaudijs donatum vidit, se verò desideratissimâ fruitione post tot suspiria, precesque privari: Verè sine dolore, non vivitur in amore. Tria potissimum urunt & affligunt has animas amore Dei eiusque fruendi cupiditate succensas. 1. Vita hæc tot corruptelis obnoxia, & mentis agilitati onerosa, & gravis. 2. Ardor & desiderium arctioris cum Deo conjunctionis, & summi boni sempiternique dilata possessio. 3. Tanta scelerum per orbem coluvies, supremæque majestatis injuriosa contemptio, quam gravius ferunt, multique plus sentiunt, quam Tyrannorum carnificinam, quâ martyres excruciarunt. Atque hoc illud est earum velut purgatorium, quo animi nævos culparumque reliquas sordes eluunt, majorum pœnarum suppliciorumque avidæ, quia norunt quanti sit meriti pretijque earum tolerantia, quantumque apud Deum gratiam concilient.

Felices, qui ad hos Deiformitatis & transformationis apices superioris disciplinæ præsidij ascenderunt; ne quæso, tamen putes eò te provecum, quia aliquis mentis excessus externis, quibus cælestium deliciarum copiosa diffluentia redun-

9.
Quid per-
fectos af-
fligat.

10.
Cæli de-
siderium
in S. Mo-
nica
Gerfon
super Ma-
gister.

dundat animus, & quodammodo extra se rapitur, corporisque vincula gestit abrumpere; qualem experta est aliquando S. Monica Augustini Mater, quæ post sumptam Eucharistiam in templo S. Cypriani amoris flammis inardescens, & à terrâ elevata, ac in aëre sublimis exclamare cœpit: *Volemus ad cœlum, volumus*: & interrogata, ubi ad se redijt, unde hæc illi obvenissent, candore columbino, uti solebat, respondit: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*. Sed ecce aliam prætervolantem transformationem longè vehementiorem, Disserebat in die Pentecostes concionator non ignobilis de mirandis divinæ charitatis effectibus, mulier ibi præsens, & ijs quæ dicebantur intenta, ita paulatim cœpit inardescere, ut velut flammis sagittis icta, sui que jam impos in suspiria, & voces erumperet, monita ab astantibus ut sileret, nec concionem interturbaret; dum hoc facere nititur, spiritibus interceptis suffocatur, & moritur. Evenit illi quod lagunculis musto plenis, & obturatis, dum interclusi spiritus ignei viam quærunt, violenter aperire sibi illam dum conantur, vas vitreum in partes disrumpunt. Mortem huius sceminæ dixerim meritò fortunatam, & cui parem plures optarint: non arbitror tamen hîc intervenisse amoris eminentem illam trās-

formationem: habet enim amor violentus suos volatiles impetus, quos diu humani cordis angustia sustinere non possunt. Aliquos fœni aut palearum manipulos lebeti subijce, aquam continuò bullire, agitari, extolli, & exsilire ac effluere conspicies; sed ubi ignis deficiente materiâ conciderit, aquam ad ingenitum frigus reverti intubere; ita se habet in plerisque vehementioribus amantium subitaneis commotionibus; ut faciliè oriuntur, ita faciliè evanescent: an non alaudam sive cassitam videmus radijs solis allicientibus sursum ferri in aëra, & suavissimo cantu itinerantium aures animosque demulcere? quæ tamen paulò post velut canendo exhausta in terram relabitur, & malignâ sorte aucupis retibus implectitur: capitur: idem ferè contingit ijs, quos non amor ille eminenter transformas, sed flamma quædam de repente invadens sursum extulit, cælestibusque delicijs subitò perfudit; tum quidem in cantus & gratiarum actiones erumpunt, sed brevî post sibi redditi, ijsdem quibus antea vitijs implicentur.

Vera germanaque transformatio præter amorem eminentem, cæterarum virtutum chorum secum trahit: in intellectu rerum fugientium imagines defluxisse, & Deo rebusque Deum concernentibus cessasse loco videntur: voluntas.

Simile ab aqua bulliente.

12. Transformations comites virtutes,

Ibidem.

11. Charitatis actus in sceminâ.

luntas sui arbitrium ad divinæ Providentiæ pedes deposuit, divinumque velle pro regula inviolabili tenet constantissimè, parata millies antè vitæ, rerumque omnium iacturam facere, quàm à divinis placitis vel unguem discedere; idque tanta animi pace, ac tranquillitate peragit, ut manifestum sit, Deum pacis in arce cordis dominari: à contrario res magis dilucidabitur. Ira vehementior, aut subita & improvisa ebrietas hominem deformat in belluam; sed ubi paullo post sese spiritus illi remisere, etiam belluinus ille agendi modus concidit: at aliter res se habuit in Nabuchodonozore, qui septè annis deformatus in bestiam phantasiâ & appetitu inferiore aliquantum perturbatis, toto illo tempore vixit, comedit, seque in cæteris habuit ut bestia, quadam tamen rationis strictura perfusus quâ miseriam suam interdum adverteret, ut in superbiæ castigationem, hanc inflictam demeritationem perentificeret; (parū enim incommodorum suorum sentit perfecta & constans insania. Idem cum proportionè de perfecti amoris vera transformatione sentiendum est; scilicet hominem per illam in divinum quendam agendi modum traduci atque promoveri, ita tamen ut ex nonnulla quam experitur præsentis vitæ corruptela sese mortalem & miserij defectibus

13.
Transformatio
Nabuchodonozoris
emblemata
transformationis
spiritualis.

que expositum esse cognoscat. Magnus ille Antonius vir planè cælestis ita hominè exuisse videbatur, ut in cælo jam domicilium fixisse diceret. De Sole conquebatur, quòd mane renascens nocturnam in oratione pervigilationem interrumpere. Alexandriam profectus dum ab hominum multitudine ad eum videndum concurrente propemodum opprimitur, amicæ oris compositione omnes intuens dixit; se minimè turbari tot hominum tumultuantium confluxu, qui cum pluribus in solitudine dæmonibus decertasset; & tamen cum hic tam admirabilis constantiæ vir Paulum Eremitam in tugurio loco convenisset, reversus ad suos exclamavit: Non sum Monachus, vidi Eliam, vidi Joannem Baptistam in deserto; nimirum ex aspectu Pauli in vilissimam de se opinionem descenderat, & ingentes ad virtutum eius imitationem animos induerat; Deo similibus exemplis nos instruente, nullibi subsistendum esse, sed ascensiones semper in hac valle disponendas donec videatur Deus Deorum in Sion.

14.
Exemplum
plum illius
S. Antonius,

Transformatio
petri
in
cælo

CAP.

CAPUT XXVIII.

De perfecta Transformatio-
ne, quâ donabimur in cælo.

I. **I**ntruducis me, ait S. Augustinus, *In affectum inusitatum valde, qui si perficiatur, non scio quid erit, si ista vita non erit: verè enim Sanctos inter has calamitates ita beat interdum Deus, ut sibi cælestibus jam delicijs frui videantur: sed quia ista prolusiones sunt, & citò evanescent, ad æterna illa attolendus est animus, ubi transformabimur de claritate huius temporis ad claritatem sine tempore, ubi intellectus omnibus ignorantia tenebris liberabitur, voluntas in summi boni possessione firmabitur, & cætera animi facultates magnâ pace in muneribus obeundis singulâ versabuntur, & consumptâ mortalitatis corruptione, in perfectam quandam Divinitatis imaginem totus homo conformabitur; ut sit Deus omnia in omnibus: omnibus, inquam, & singulis Deus tum omnia futurus est, vita, honor, gaudium, voluptas, & perfecta beatitudo: inter huius vitæ miserias in Salomone suæ Sapientia, opumque suarum imaginem quandam adumbrare voluit; in Samfone roboris atque fortitudinis; in Davide mansuetu-*

dinis, atque patientia; in illa verò beata vita, unusquisque beatorum, Dei, omniumque perfectiorum eius imago quædam est: diversi sunt gradus gloria, sicut & meritum; sed Deus tamen est eritque omnia in omnibus; quia omnium bonorum unus ipse copiam omnibus subministrat, unus ipse causa efficiens, exemplaris, & finis fac Intelligentiam aliquam ab omni corporea concrectione semotam tam excellentis naturæ, ut substantiam suam, totâ illâ, quæ cælum inter & terram est, intercapedine, extendere & diffundere quadam virtute congenitâ certo modo possit: fac à cæli circumferentia, ad centrum usque minores Intelligentias totum illud intervallum implere: quæ omnes omnium bonorum, quæ in illa majori & perfectiori Intelligentia reperiuntur, participes, pulchritudine admirabili exornatæ, & indissolubili amoris inter se vinculo connexæ, omnes simul in majorem Intelligentiam quantas possent ardoris flammæ amicâ conspiratione, ut in suorum bonorum auctorem effundunt; quantum inde & quàm pulchrum amoris, & perfectiorum existeret spectaculum. Sed quid ista ad cælestem illam in Deum transformationem, in qua, ut idem B. Doctor ait, *perit quodammodo humana mens, & fit divina: altius enim illa Dei claritati*

T. im-

14.
tem-
um il-
as S. A.
nius,

I.
Transfor-
matio qua
petitur
animus in
cælo.

ANNE
LON
GORE
17
OPEN DAY
JUN
V. 10

immergitur, quàm crystallo radius solis infusus; Dei visio conspectusque, clarior, splendidiorque est, quàm quilibet cuiusque rei in luce Solis eminentissima & amoenissima intuitus: amoris nodus est altricissimus & intimus, ex duobus unum, quantum fieri potest, efficiens: gaudium ita penitissimos animi recessus dulcedine suâ pervadit, ut omnes mundi delicie in unum conflata & illi collata carduis aut spinis similes haberi possint. Nullus, ait S. Augustinus, *etiam de sanctis linguis, & cordibus, per quos nobis veritas annuntiata est illud potest exprimere.* quos inter nominatim Regium Prophetam adducit, qui quasi magnum aliquid vellet dicere: *Inebriabuntur, inquit, ab ubertate domus tua.* considerans enim, quia homines vino madidi omnium suarum miseriarum suæque conditionis obliviscantur, idē de beatis ex Dei possessione mirabili lætitiâ circumfluentibus fieri & dici posse existimavit, quos magnitudo gaudij in omnium rerum & sui oblivionem induxit. *Erunt consummati in unum: eritque vox una letantium & unus ardor omnium.* Et quid mirum? cū omnes in unum gaudium Domini fi-

De moribus Ecclesie.

mul jam intraverint, & si verum est, ut ex S. Paulo idem Sanctus deducit, unumquemque conformari ei rei quam diligit, mirum etiam esse non debet omnes eodē gaudio inebriari, quo Deus ipse fruitur: quæ cū ineffabilia sint, de illis meritō pronuntiare possum, quod ille idē rerum istarum scientissimus indagator pro epiphonemate adjicit: *Quomodo potui, dixi, & quomodo possū, video, & quomodo video, dicere non possum.* hoc solū cū Beatis illis in Deum per amorem transformatis cum Sancto Bernardo affirmare valeo: *Nihil videre desiderabilius volunt, nihil possunt delectabilius.* Quod cū æternum sit, inde colligi potest, quàm optanda, & ardentibus desiderijs perseguenda sit æterna illa amoris transformatio: *Si enim in æternum extenditur videndi copia & voluntas, quomodo non plena felicitas? nihil quippe deest jam semper videntibus, aut superest semper volentibus.* Et ne dicas: *Quid ibi acturus sum? cū eminentissima actionum haberi meritō debeat iudice eodem Sancto, Deū semper videre, amare, & laudare: quod nobis Deus ex sua abundantissima misericordia elargiri dignetur.*

Ca. 31.

S. Aug. de diversis serm. 6.

PARS